



Istituto per il Lessico Intellettuale Europeo e Storia delle Idee
Consiglio Nazionale delle Ricerche

<http://www.iliesi.cnr.it>

<http://www.iliesi.cnr.it/covid19.php>

Illness in ConText

parole di filosofia e orientamento nella pandemia

testi e articoli

Jan Baptista van Helmont, *Tumulus pestis*, in Id., *Opuscula medica inaudita*, Lugduni, Sumptibus Ioan. Baptist. Devenet, 1655, pp. 141-192

Parole chiave: **epidemia/peste**

TVMVLVS
PESTIS,

Authore

IOANNE BAPTISTA
VAN HELMONT,

TOPARCHA IN ROYENBORGH,

PELLINES, &c.

Editio, quinta ceteris emendatior.

Nnn

IOANNES

P E S T I S.

Lector, titulus, quem legis, terror lugubris, foribus affixus,
intus mortem, mortis genus, & hominum nuntiat
flagrum. Sta: & inquire, quid hoc?
Mirare. Quid sibi vult

TVMVLI EPIGRAPHE PESTIS.

Sub anatome abij, non obij: quandiu malefuada inuidia
Momi, & hominum ignara cupido, me fouebunt.

E R G O H E I C

Non funus, non cadauer, non mors, non sceleton,
non luctus, non contagium.

Æ T E R N O D A G L O R I A M.

Quòd Pests jam desit, sub Anatomes proprio supplicio.

IOANNES



IOANNIS BAPTISTÆ
 VAN HELMONT
 BRUXELLENSIS,
 PHILOSOPHVS PERIGNEM,
 TOPARCHA IN ROYENBORGH,

PELLINES, &c.

Salutem & gaudium Christianis.

CHARE LECTOR.



Emper, vel à puero, inquisivi veritatem, super omne delectabile; quia passim inueniebam omnem hominem mendacem: adeoque ex seculi impietate, cuncta mendosa, ignara, commenta, fallacia, & imposturis plena, inuenta. Cumque omnes status, religiones, & conditiones, opportunè inuestigarem per indiuidua: vidi quidem in numeris, atque mensuris, veritatem certam, ac immutabilem. In rebus creatis denique, essentiam quidem, & proprietates rerum veras, atque bonas: sed ipsam veritatem, vtut apud homines inquirerem, nusquam inueni. Dolui magnoperè, quòd veritas se abcondisset à captu meo; nesciens, vitium istud meum esse, non autem rerum. Tandem, cum considerassem, quòd Deus ipse esset nuda veritas, Euangelium sumsi ad manus. In quo etsi singularem veritatem vbique notarem: attamen interpretationes offendi, ad carnis lubitum, imò hodie, studiosos sedulos aliquot notavi, ad excusandas excusationes in peccatis, præcipuè Magnatum. Adeoque Euangelij veritas censetur esse professa: at non acconsentita, vt decebat. Nam nemo est, habens duas tunicas, qui vnã exuat; vt pauperem, tanquam Christum presentem, illã induat, ex mero amore. Nemo genam alteram, verberanti offert. Adeoque Euangelica veritas, studio quorundam, hodie obsoleta est inter Christianos. In qua consideratione, dum semel ferè pernoctassem, post annorum aliquot studia & anxietates plurimas, resoluebam mecum, quòd Pestem, quatum nostrates inuaserat, quamque omnes fugiebant, gratis vbique adorirer. Et quanquam ex libris vndecunque remedia selectissima in compendium contraxissem, siusulque remedia, ab aliis descripta ad manum haberem irrita tamen cuncta, languida, atque vana expertus sum. Derelicti namque, atque pauperes, sæpè suos vomitus acructus super me offerebant, animamque inter brachia efflabant, me anxio: Sed Deus ignarum atque inutilem hunc seruum præseruauit. Atque tandem, comprehendi Pestis naturam, progressum, & proprietates, longè alias, quàm hætenus Schola intellexerant. Quoniam ipsimet Doctores, & Scribentes, primi aufugiunt; & qua hinc inde è variis authoribus compilarunt, æquè ignaris extollunt, atque commendant, tanquam longè optima, quaque ex sua inscitia sic aestimant. Adeoque omnis illorum doctrina fundamento putationis innititur. Interim tamen cognitio veneni pestilentis desideratur, hætenus ieiuna: ac remedia exposcuntur, quæ immutato in prioribus officinis sui dono, superare queant veneni labem. De quibus nil per Scholas somniatum hætenus.

Cuius generis sit Pests.



Buenit mihi somnium, post anxiam pernoctationem atque dum nox nocti indicat scientiam, existimaui somnium continere scientiam. Itaque somnia mea, Lectoris iudicio lubens substituo. Considerabam enim me in Cryptis extra Urbem (Grottas vocant:) vidi labyrinthos Dædalicos, fornices alicubi rimam ruinaeque minantes. Porticus Plutonis dixissem quibus tenebrae inueteratae, aër spissus, longâ quiete fessus, lumen candelæ eminus lucere, non permittit. Etenim aëris densitudo, Gas terræ, obuiabat sic, quod paucis abinde passibus, vix flamma cerei micaret. Vox namque, offuscato sonitu obtumescit sic, quod non procul inde clamor non audiatur: videaturque obtusior tonus, non vocem, sed vocis umbram referre. Nil enim ibi vitale, excepta vesperilionum turba, at textis nidis in fornice conglomeratorum. Heu triste spectaculum, aeternæ mortis imago, vbi tenebrionum sedes. In qua si incolarum vnum fortè læseris importunum: candelis priuaris, & mox vitâ, nisi extincto lumine, te iternas humilem, ac velut mortuû sinxeris. Tenebriones enim, obscuritatum indigene, à nemine peti, aut corrigi sustinent; multoque minus à sede abigi. Iniuriam vocant, allatum contra ipsos lumen: quia penes se, lumen nec habent, nec amant. Sub doctrina & correctione, non ex ipsorum nidis emanante, clamant vindictam: in eamque coniunctis votis inhiant. Quam fortes enim, quia, & quando plurimi? Quam audaces, in tenebrarum seculo, & regno? quamque immutes, vbi votis & volatibus suorum fauent omnia? Anhelitus enim noster tantam ibidem olet fræcedinem, vt mox nos pallore, mora tingat. Enimverò metallicis cuniculis est familiare, vt nisi frequenter solium pertundatur, nouusque de æthere aër adspiret, certè Montani, cæco Gas pereunt: sin autem non pernoctauerint, saltè morbum contrahunt, in vitam vsque deplorabilem. Solent enim proinde, vt vitæ montanorum consulant, per machinas, nouum aëra inflare, noxiumque exsufflare. At in cryptis Romanis non quaruntur mineralia, Ideo & Arsenici Gas carent. Inueniuntur nempe ibidem frequentia sepulchra, quæ Christianorum martyrum gloriose mortuorum putantur. Dubitare itaque somnians cœpi, an profuga, nec reperibilis hodie veritas, ibidem sibi tumultum fecisset cum martyribus? arripit dormienti quæstio. Etenim de terra Medicum, vt Medicinam, creauit Altissimus. Existimaui itaque; Medicinæ veritatem, ac Medici scientiam, in naturæ fundamento stabili, abditioreque sepulchro, se occultasse, ab indigno contaminatoque mortalium contuitu, nostrumque refugisse commercia, multis se labyrinthis & anxietatibus obruisse. Ita vt pro luminis exiguitate, quod nobis ex natura sociale est, maneat veritas tenebris obtecta, & obsepta difficultatibus. Ac pessimum hic tandem occurrit: quod hoc veritatis sepulchrum, non à bono genio: at infaustis nocturnis aibus, custodiatur. Ideo spiritibus tenebrarum sit supplantatū. Quisquis autem ille est, qui molitur, quod istis custodibus minus applaudit, violentum mox experitur imperium illorum, qui specie pietatis ac quietis, hæc regna

Plutonis custodiunt, quasi sua. Ac cum ipsi in lumen Veritatis non veniant, etiam alios intrare non sinunt, nisi se sibi sternant humiles. Circūcingitur enim mox alius quilibet, à potestate us tenebrarum, hostibus primæ Veritatis, qui specie pietatis, legata suorum sepulchrorum sibi vendicant: quia penes se regnum Veritatis jactitant. Ideoque sibi delegatum imperium literarum, scientiarum, & Magnatum potestates. Hi enim nec aues, nec mures, sortiri medium ac hermaphroditicum genus, inceduntque vt est Lucæ 20, Penetrant domos, atque possessiones viduarum, abducunt post se mulierculas oneratas peccatis, &c. Certè eiusmodi omne negotium perambulat in tenebris, & cum dæmonio Meridiano, omnis eorum conatus. Equidem non cernebamus mediū aperiendi sepulchri Veritatis, nisi longo cum otio: hoc autem oïores spiritus, vel à diebus Ariæ Montani, non permiserunt probis. Quapropter vt opportunè, & cum vtilitate proximi, id factitarem, decreui me vulgo subducere, & fornices naturæ, frequenti foramine, subter lucem pertundere. Ac ne frustra laborarem, sub luce pelues vitreas disposui, vt muto sonitu, naturæ camerâ subter deprehenderem. Securi, vnco, igni, & liquore acri, saxa diffringere, quadraginta annorum inde fessis laboribus, & impensis, studui, vt lumen cœlitus influat, vtque nocturnæ volucres, quæ se clauis scientiarum & Veritatis angiportum custodire præsumunt, euanescant, vel ad angulum se recipiant, extra aulicissimum, & urbanitatum venationes: Vel saltem mortales, Veritatis indagatores, posthac non impediunt amplius. Hoc enim mixtum monstri genus obstrepit, se omnibus aibus præstantibus, quia non ex ouo, aliarum auium ritu, incipiunt: sed fœtus, longiori ad mammas suctu enutriunt, eiciuntque è nido, quos sibi non sat proficuos putant. Se inquam auium proinde perspicacissimas gloriantur: hoc quia etiam sub tenebris clarissime cernunt. Eheu sic sæculo imponitur per tenebras! Veritatem autem in umbra, intra suas cryptas mentiuntur, & persuadent vulgo. Qui interim semper discentes, nunquam ad charitatis scientiam perueniunt. Qua lumen à sola ac nuda charitate edoctum, non tolerant, Ideoque tenebras tenebrarum, telasque sibi semper texunt.

Profectò fuit mihi necessarium, terræ viscera lacerare, eiusque cranium pertundere. Siquidem visus est mihi Galenus intrasse in cryptas, tenui lapide; qui mox in vestibulo terrefactus cespitauit, ad primū fere limen accidit. Itaque effuso oleo, rediit ad suos, multaque confusè de sepulchris narrauit, quæ non viderat, nec nouerat; nec credidisset, etsi vidisset. Omnes exin, multa temerè apud suos stentantur se scire, qui nec quidē linæ naturæ, nisi Galeni relatu, eminus salutarunt. Auicenna denique cum sua cohorte, lustratu Galeni, etsi cautior factus; non tamen multò profundius intrauit: quin retro, circum, ac sursum aspiciens, vertigine captus, offenso ad filicē pede, præcepit ruerit: rediens autem, se prædecessoribus longè ampliora vidisse, jactitat idiomate peregrino. Quod cum sequaces intelligerent, hærentque quemnam pro Antesignano eligerent, pugnare pro Principis iurati gloria singuli maluere, quam ipsimet adyta intrarent. Quasi humana mens libera, clientum instar prona, libertatem abiurasset. Itaque nulli deinceps intrare conati, primisque stentoribus contenti, sese in pugnam, pro

pro gloria, & trophæo, nondum cognitæ rei, suis centuriis præfixere. Quotquot autem ad limen venere, velut primario patrono factiosè addicti, vestigiis priorum insistentes, illicò corruerunt. Somniârunt se ingressos. Saltem lumine & ope priuati, ad tantæ molis remouendas tenebras. Alij quoque dein versus cryptas properarunt; sed lumen secum non attulerant, extinctum atque abreptum sensere oleum, per hostes primæ Veritatis & humanæ sanitatis, ac tenebrarû incolas. Tandem Paracelsus, magna face ingressus, funiculum circa primos passus parieti affixit, quem sequeretur comitem, ac viarum reducem, adspirant penetrare, quo nondum vestigia mortalium iter fecerant. Ad tantam mox lucem stupet volucrum turba, Prometheum intrasse autumat: extinguere faculam non audet, non valet: tentat tamen clanculum. Plurima monumenta hic homo videt, diutiùs & liberè exspatiatur, porticus fumo replet, & dum Veritatis sarcophago intētus, vires deficiunt, fax cadit, lumen medio cursu extinguitur, & fumis velut suffocatus est. Ego misellus, tandem intraui minimo laternæ lumine, & ne quid obesset, quodque manum ab opere detineret, funem quidem recusavi, & laternam ad zonam suspendi: sed à tergo vncus sequebatur, orbitam faciens, reditus normam. Itaque meis tantum insistentes vestigiis, vidi ibidem longè alia, quàm præcedens auorum cœtus descripserat. At quia solus eram, ad tam ardua pōdera vires decrant, multaque conatus, aduersante vespertilionum turba, tandem priorum more, absque fructu exiui. Imò longè deterius. Quia diutina mora lumen mihi offuscatum erat, & oculi deinceps aliam porrò lucem omnem ferre recusabant, vtpote quia iam tenebris nimis assueuerant. Vsq̄ adeo nisi à pertinaci intento penitens abstinuissim, cœleste mihi diei lumen nil omnino proficuisset. Hoc saltem vnicum atque verissimum didiceram: quod omnes, humanis duntaxat freti auxiliis, ambularem in densis tenebris, per vias ignotas, difficillimas ambages, & semitas noctis, paucorum malè que fidorum industriam imitantes: nec quicquam tandem inde fructuum ferremus, præter quam malè consumptum lumen, offuscatos oculos, pallentes canitie genas, confusiones mentis, præsumptiones vanitatis, noctisque instantis imaginem terrore, ac desperatione plenam. Deprehendi insuper omne nebulonum & meretricum genus, deceptores, Iudæos, & carnifices, vbi semel propriâ temeritate se intruissent, mox audendo graduatos. In nullo enim maiorem licentiam, temeritates ampliores, credulitates crudeliores, tenebras densiores, ac confusiones frequentiores offendi, quàm in munerum nobilissimo: in quo cuique est liberum occidere, si homicidium subsidij pallio sit inuolutum, & occisus terra tegatur. Rogavi itaque Deum, limitem in nequitias tam iceleratis, quæ contra diuinum maiestatis suæ simulacrum faciebant, dignaretur statuere. Verum mox inde vanitatem desiderij mei deprehendi. Siquidem quamdiu proprium commodum superioritatem tenet, & Medicina vt aratrum exercetur, frustra contendunt, qui Christum meum, patrem pauperum, cum Mammona componere student. Laudabam olim ciuitates, quibus non erat licitum, inconsulto Medentium collegio, in sanitatem proximi debacchari. At dein meam

Helmont pars II.

rifi stoliditatem, quia excipiebantur, qui gratis curarent. Vnde didici, quod lucrum Medentium istam sibi cauerat legem, & proprium lucrum vbique leges charitatis vitaret, spe certâ, neminem inuentum iri, cui ista exceptio quadret. Vidi itaque in legum consuetudine, supercreuisse defectus, legesque reddidisse succo effœtas. Ac fuit certè mea stupiditas tantò maior in hoc, quod nusquam admittantur in curando errores crassiores, quàm quos Medentes, etiam Cathedralici, piabili ignorantia committunt: prout toto opere annifus ac paratus sum ostendere, Mechanicè per ignem, practicè, omnique genere demonstrationum. Enimverò ante pauca secula, Chirurgum à Medico sequestrarunt arrogantia, ignauia, & charitatis extinctio. Quare dein ministri tractarut manualia: quasi Christianum dedeceret, proximum manibus iuuare. Interim nobiles matronæ aliquot, propriis manibus plures defectus sanabant, à Medentibus desperatos. Profectò, postquam ambitionis & lucri studia exulta sunt, refluxit charitas, misericordia extincta, ars periit, datorque luminum subtraxit dona, calamitatum nostrarum numerus creuit, & Medentes fabula vulgi facti sunt. Veritas in sepulchro scientiæ sepulta mansit, & eius vice surrexit confusum rixarum genus, sermocinale, pro doctrina reputatum. Etenim Medici descripserunt, & ad se traxerunt totum morborum exercitum, dolentes prodemodum, exiguum adhuc illorum esse catalogum. Artis namque Galenicæ facilitate allecti, promiserunt geometricis demonstrationibus graduum, caloris & frigoris, metiri omnes, ac mederi omnibus. Chirurghi quoque horum imitatione, ac æmulatione, tam moderni, quàm veteres, largè latèque tractarunt promiscuè de omnibus, sub se rapientes omnium sanationes, in aspectu, ac despectum suorum pridem herorum. Quoniam initio ac radice destinationis Medicæ, omnia solis duntaxat physicis curanda competebant: Chirurgis verò dein, solo permissu & ea gratia Ambo sub lite mansere confusa, quam nec terminare possum, nec intendo, certior factus.

† *Quod electum diuinitus Medicum sua sequentur signa, & prodigia pro Scholis. Is enim ad honorem Domini præparabit dona eius, ad solamen proximi: ideoque commiseratio erit dux eius. In corde enim possidebit veritatem, & scientiam in intellectu. Charitas erit soror eius, & misericordia Domini illuminabit vias suas. Ille enim erogabit gratiam Domini, & non erit spes lucri in cogitationibus suis. Dominus enim est diues, & liberalis, dabitque centuplum in mensura cumulata. Sua opera fecundabit, manus suas unget benedictione. Replebit os suum consolatoribus, & tuba verbum eius, à qua fugient morbi. Longitudine dierum implebit vitam, domum suam diuitiis, & filios suos timore Domini. Vestigia sua adferent se icitatem, & morbi in conspectu eius, tanquam nix in meridie aestatis, valle aperta. Maledictio & punitio fugient, & sanitas sequetur eum à tergo. Hæc sunt promissa Domini, Medentibus quos elegit: hæc sunt benedictiones eorum, qui ambulant in semita misericordie. Quia Dominus amat misericordiam facientes, & propterea illuminabit illos, per consolatorem spiritum. Quis enim est liberalis vt Dominus qui gratis dat multa, & pro aliquanto dat omnia. Benedictus est Dominus, qui solum misericordem sal-*

† Signa veri Medici.

N n n 3

uat,

uat, & saluandum saluat gratis. Consolatio autem in via spei, obuiabit misericordi: quia fidelem elegit Dominum. Enimverò Græci, mox dein Arabes, instituerunt sanationes infirmitatum, sine distinctione personæ Chirugi à Physico. Ac Gentiles isti, à morte resurgentes, Christianos Medicos quandoque socordiæ, auaritiæ, & arrogantia confundent. Etenim Deus electionem Medici sibi reseruat. Scholæ verò hac operâ, Deum subleuare volentes, discipulos assumere instruendos, quoslibet ac sine discrimine, proposueruntq; illis artem, in librorum lectionem assidua & disputationibus sitam. Quapropter legerunt libros Galeni, Auicennæ, & Interpretum: deinde Herbarios euoluerunt, depictis ad viuum iconibus Herbarum. Quasque inde si nondum proin nouerint, dimittuntur Studiosi ad officinas, & simplicium collectores. Cum mandato, quod dum probè effigies simplicium cognouerint, redeât ad suas lectiones, quas ex variis Authoribus multo longoque studio collegerunt, ut simplicium & compositorum potestates, simul & applicationes discant. Videbitis interim forte cadauerû dissectiones, audietisque (ut aiunt) methodum medendi Galenicam, vsum partium, differentias pulsuum. Item nostra commentaria ad nonum Almanforis, iuxta tritam practican-tium normam. Interim discite, argutè super qualibet propositione, problematicè disputare. Sicque intra triennium, in viros doctos transmatabimini. Scholæ interim velut pudibundæ, nomen Medici deponentes, altius aliud, exacto triennio, suis spondent tyronibus. Quod est Doctoris. Itaque postquam Ars est erecta in facultatem religionem, ac professionem, factus irrepsit, auaritia intrusit lucrum, vnde & mutuum Medentium odium: quæ omnem in ægros inclementiam secum adduxere. Litera porro, & lucro instantibus, tandem fastus supereminuit plerumque auaritiæ. Quapropter Medicus famulum, qui barbam peccere ac tondere nouisset, in Chirurgum promouit; sibi turpe censens, qui tot libros euoluisset, vlcus deligare, aut fractum os reponere. Id namque habent vitia cuncta, ut pudore ac metu se associant, & crimen decentiæ umbrâ tegant. Ideoque & fastus sensim ignauiam comitem sibi delegit, quorum copula inscitiam mox generauit. Ita nimirum Doctor ad externos Erysipelatis squallores vocatus, genus & nomen affectus ignorauit. Quæ dum cautè à Chirurgo resciuisset, serò aliquot libros euoluit, ut sequenti manè multa de affectu declamet. Itaque venam aperiri iubet, ferum cum aceto rosaceo, vel saponem, ad deliniendos ardores adponi iubet, ac in sequentem diem poculum cholagogum describit. Obridet Chirurgus, quoties euentus non respondet pollicitis: & Doctor, externos morbos sensim exuens (quia nesciens contentus præeminente titulo, quod plurima in scriptis Chirurgicis legisset, & longè amplissima apud plebem declamare posset, conniunte Chirurgo. Qui interim, inconsulto, Medico, suos assumit discipulos, qui modò dentem euellant, venam pandere nôrint, basilicum ac diapalma extendere, ac vulnus deligare triennio didicerint, censentur liberi Chirurgiæ Magistri, inuitis Scholis. Doctores autem serò didicerunt fabulam eius, qui serpentem frigore congelatum sinu suo donauerat, & ab eodem per-

foratus, miserè periit. Idque hodie eò est protractum, ut Chirugi deinceps, inter se, suos habeant Doctores, Professores, & Scriptores vernacula lingua. Tunc inquam, ac serò respexerunt Scholæ, adeò ut qui prius os fractum aut dislocatum reponere erubescerent, ac postmodum nescirent, iam gaudeant vrinam refundere, atq; olidum stercus baculo agitare, ut suos ariolentur ibidem fugatos humores. Idq; ni fecerint, sciant utique, se domi desides, iuxta libros fracescere debere. Interea namq; aucta est penes Medentes, Chirugiæ inscitia. Fastum equidem vbique puniuit Deus, per ignorantiam, aut dementiam. Galenus quidem libros Therapeutices scripsit, quod Methodum Medendi interpretantur. Sed quis est, qui nescit, quòd Therapeuta famulum sonet. Adeoque humili famulitij titulo, naturæ & ægris seruiendum fore? Ac gloriabimur in Domino qui serui naturam assumens, voluit, quod sui Medici, in hac humili vocatione, nobilissima totius Vniuersi scientiæ participes essent. Enimverò quandoque interrogauit Canonicum, cur horas non concineret, qui ab instituto erant laudum diuinarum cantores, angelorum æmuli; non autem capituli, aut Hierarchiæ ecclesiasticæ directores? Respondit, Cantare magnis Canonicis indecens fore, se habere minores beneficiatos, ac sacellanos. Vnus enim possessione largioris elemosynæ, denegat Deo suas laudes, tanquam rem sibi vituperosam: Alter verò sibi reputat fore indecorum, membra Christi lacerata contrectare, mundare, deligare. Ego autem certus sum, Dominum infra paucos dies ambulos dicturum, Nisi fiat tanquam vnus ex hisce paruulis, vos lampigeros sine oleo nescio. Quapropter vos fratres adhortor, Tollite lucrum, eiusque loco, imbibite charitatem: & sentietis omne opus bonum, quod vobis nunc videtur vile, esse nedum laudabile, honestum ac nobile; sed etiam sanctificare, & nobilitare suum operatorem. Nonne magnus Iudæorum Pontifex, princeps erat? Ianio armentorum? gregisque occisor? manus cruentas habens? At longè decentius est, vlcera pauperum deligare, quàm fuit olim victimas cedere. Nullum enim opus bonum in charitate, poterit vnquam reputationi quicquam detrahère. Lucrum ergo & fastus, per Satanam introducta sunt. At dices, Operarius est dignus mercede. Si operarius es; te ergo tuæ non pudeat operæ. Sapiens ait, Medicus à Rege (non a paupere) donum accipiet (non stipendium, aut mercedem.) Itaque si pura operantis sit intentio, prouidebit Deus iuxta promissum, qui neminem decipit, promittens centuplum hoc seculo, & vitam alterius. Quare historiam vitæ meæ, & Domini magnificentias, obiter describam: imitemini, si quid fortè boni in ea occurrerit. Equidem heluo librorum eram: notabilia cuncta in locos communes collegeram, sic ut pauci me superarent diligentia; plerique autem iudicio. Anno 17. meæ adolescentiæ prælegebam lectiones Chirurgicas in collegio Medicorum Louanij, à Professoribus Thoma Fyeno, Gerardo de Villeers, & Stornio constitutus. Eheu præsumsi docere, quæ ipse nesciebam. Hollerium, Tagautium, Guidonem, Vigonem, Æginetam, totamque Arabum turmâ adaptabam. Qui sanè omnes simul, apicem Chirugiæ non intellexerunt. Postea destiti, demiratus temeritates & incogitantias meas, quòd
sola

sola librorum lectione docere præsumerem, quæ non nisi visu, atque manuum contrectatione, longo usu & acri iudicio addiscuntur. Inflabat enim me inconsiderata præsumptio, quod ad hoc sponte delectus essem, meosque Professores, etiam auditores, lectionumque mearum censors, haberem. Fidebam enim scriptis, ut pueris contingit, de Baiardo, & Malegigio legentibus. Tandem stupefactus mecum comperi, quod euentus non responderet doctrinæ, quodque Professores mihi non plus lucis darent practicando, quàm antiquorum scripta. Sæpè interim in mentem veniebat, quod Scholæ ex Auicēna intonant. Nimirum ægris confidentiam in Medicum maioris esse ponderis, quàm sit Medicus cum cunctis suis instrumentis. Suspiciabar itaque, debile esse Medentis subsidium, cui imaginarium confidentiæ auxilium anteferretur. Nam si quis lætus per risum sanetur. Ridicula saltem esto medela, vbi Medicus ridendo, vel confidendo, sanauerit ægrum. Non est enim ista medela, quam Omnipotens de terra creauit. Ridiculum quoque tum axioma Scholarum apparuit, perhibens; A iuuantibus, atque nocentibus, sumi capitalem curandi indicationem. Eò quod istud axioma præsupponat ordinariò, pharmaca incerta & nocua plerumque præmitti solere. Iuuantia quoque si qua data fuerint, casu, absque cognitione data esse: quæ sanè, inuitis Scholis, Medicinam definiunt, artem coniecturalem, morborumque cognitiones atque sanationes, incipi à posteriori, ab erroribus, ab incerti tentamine, & coniectura. Imò id quod deinceps exploraretur, æquè fore incertum. Axioma istud Medicum meritò Poëta maledixit.

— *Careat successibus opes,*

quisquis ab euentu facta notanda putat.

Dolui ergò me istam artem didicisse. Indignatusque mecum dolui, qui nobilis essem, quod inuità matre, & insciis agnatis, primus in nostra familia, Medicinæ me nuncupassem. Deseui dudum peccatum inobedienciæ, tæduntque annorum atque laborum in electa professione impensorum. Ac mæsto corde sæpè supplex orauit Dominum, dignaretur me ducere ad vocationem, non qua meâ sponte ferebar; sed in qua illi complacerem potissimum. Votumque feci, me secuturum, & obsecuturum pro possibili, quocumque me vocaret. Tum prius, ut pomeo vetito pastus, ineam agnouit nuditatem. Quia nec veritatem, nec scientiam, in putaticia doctrina mea reperi. Ratus in primis crudele, ex alienis miseris nummos accumulare. Indecens quoque, artem in charitate fundatam, & sub conditione misericordiæ exercendæ elargitam, transsumere in lucrum. Cum nobilitas charitatis, stipendio alienetur, quæ precio extra se caret, quia omni precio est maior. Quapropter statim hæreditatem meam viduæ sorori inscripsi, & dono inter viuos transtuli: eò quod opportunè illa carere vix poterat. Iuuenis ego, rebus cunctis profus inutilis, homo non frugi, & qui se perperam studiis applicuerat, Deo me commendauit, cum intentione proficiscendi peregrè, Medicinam deserendi, atque in patriam redeundi nunquam. Quia clarè inspexi tum penitissimam mei; vanitates prioris præsumptionis, & literalis Doctrinæ detexi, atque repudiaui. Ad externos itaque incertus pergo, sub spe, quod Domi-

nus cursum meum clementer dirigeret ad finem sui beneplaciti. Sed quò magis Medicinam detestaret, ac velut imposturam procul à me abiicerem, eò nempe maior me inuasit medendi occasio. Idiota namque se mihi associabat, qui pyrotechniæ, manualia saltem, nouerat. Mox ego, ut penetrare quorundam corporum per ignem inspexi; comprehendi multorum separationes, tum libris nondum traditas, ac hodie aliquot incognitas. Dein indies creuit sciendi ac operandi auiditas. Non enim multò post biennium, eiusmodi mihi supellectilem comparaueram, qua apud infirmos, etiam iuxta Electorem Coloniensem Ernestum Bauarum, absens magni fierem, & me ad se euocaret. Tunc enim adhuc magis me puduit nuperæ, & doctæ meæ ignorantia. Quapropter statim abdicauit omnes libros, & sensi me per ignem plus proficere in conceptibus orando acquisitis, quàm libris quibuslibet, tantum semper eundem cuculi canentibus. Tuncque dilucidè cognoui, me veræ Philosophiæ aditum vitiâsse. Vndique obstacula, difficultatumque obscuritates apparuerunt; quæ non labor, non ætas, non vigilia, non denique nummorum dispendia, dispergere potuerunt ex condigno: Sed duntaxat vnica & mera Dei bonitas. Etenim nec Venus, nec symposia, vel vnicam mihi horam subtrahebant: sed labor continuus, & vigilia, fures mei temporis. Sanabam namque lubens pauperes, & mediocri fortunæ, concitus plus humanâ commiseratione, & affectu morali erogationis: quàm ex pura reflexaque vniuersali charitate, in fontem vitæ. Contigit enim, quod Consul, aut Vir patritius, mei quandoque operâ libenter vsurus, eam denegauerim præsentialiter exhibere, nolens deferere plures pauperiores; ne censeret plures, propter vnum, neglexisse. Attamen Deus hanc superbiam, ex sui beneplaciti charismate, in bonum vertit. Pudebat enim me nummos, nisi à ditioribus, recipere. Adeò vt me Confessarius coegerit cuiusuis offerentis pecuniam admittere, ne secus faciendo fores præcluderem, qui pudore præpediti, non auderent subsidia vltiora petere. Dicebat enim, Quæ recusas munera, da indigo: quæque si non receperis, per superbiam detrahis pauperi, quod suum erat futurum. Dabam quoque libenter medicamina à me præparata. At quia maius gaudium sentiebam, dum à primatibus aut diuite aduocarer: indignatus mecum, ac confusus, restiti dudum, & laboris insumsi plurimum, vt succrescentem natæ in me auaritiæ furculum euellerem. Itaque in me plus vbique arrogantia, & elationis, quàm pij affectus, explorauit. Finaliter. Deus præscidit mihi mediam, tam in Ecclesia, quàm apud Magnates; adeoque & apud Rodolphum Imperatorem ample fortunæ mihi videbantur promitti, animæ verò periculum incurrissem. In quorum cõmutationem, vxorem piam atque nobilem mihi dedit, cū qua Viluordiam me subduxi, per septennium Pyrotechniæ me immolauit, ac pauperum calamitatibus sibi ueni. Reperi, ac sanè cõperi, neminem à Deo desertum iri, qui pio affectu, firmâque fide, Medentis munere fungitur. Etenim omnium quanquam ineptissimus, oculariter deprehendi, Deum, ipsam esse in miseros charitatem, ideoque ex suamet charitatis effluenti bonitate, semper mei curam gessisse. Auctæ sunt namque vxoris

hæreditates, & ampla meæ familiæ deuenere patrimonia: nam etsi litibus succumberem ex hominum litore; attamen victor euasi per aliquot reuisiones: sic vt misericordiæ Dei palam circa indignum apparuerint. Quinimò depressit præpotentes, qui me ad infamiam, & occultam necem, sub pietatis inuolucro, persequebatur. Et sagittæ in suos percussores sunt reflexæ, adeo vt modò ipsos plus pudeat, quàm pœniteat, manifestatorum criminum. Interim quotannis aliquot myriades infirmorum sanare meis remediis non desisto, nec proinde minuuntur mea pharmaca. Didici ergò, inexhaustum esse Sapientiæ thesauri; ac quotidie experior hesternam ignorantiam hodie illustrari. Redeundo autem, vnde digressus sum, Reperio Scholas nondum discernere potuisse, qui defectus Medicum, & quinam Chirurum respiciunt. Quæ si licet mihi determinare, declaro sola Suscepta tangere Chirurgiam. Quæ tomo de nouo ortu Medendi sat explicui. Sunt autem Suscepta, vulnus fodicatum, cæsum casu, morsu, contusione, ambustione, aut congelatione factum. Item omnis tumor, à casu, ictu, &c. proueniens. Item laceratio, diuulsio, hernia, ossifragium, & dislocatio. Vt etiam externe hausta contagia scabiei, herpetis, &c. & nil amplius. Medicos verò, præter internos Rentorum defectus, curare attinet ulcera quæuis, apostemata, & quæcumque externa, ab interno procedunt initio. Qualia sunt Cancer, Lupus, Lepra, Podagra Paneritium, Ischiatica. At hodie rixa mitior inter vtrâque professionem, quia Medicorum plerique methodum, medelam, & auxilia ignorant, non secus atq; Chirurgi. Ideoque etsi manus conserant, & ægri sic oculos exhauriant; tamen tandem ad metam desperationis festinant. Suntque in proposita quæstione de Peste satis vnanimis. Medicus nimirum recusat pestem, esse de sibi suppositis; quia Anthracem, glandes, bubones, escharâ, ampullas, & stigmata præ se fert. Saltemque cum Chirurgo condescendit, quòd promittat vndecumque ex classicis & antesignanis authoribus, se corrasurum optimaque Alexiteria, si non curatiua externorum; saltem præseruatiua contra atrox venenum. Imo si Theriaca Galeni non sufficiat, quæ duntaxat iuxta Andromachum 66. simplicia (id est, finalem partem nominis Antichristi) continet, spondet herbariis, se superadditurum plurima, quæ Pesti profligandæ sunt satis: vique si non vi sufficiente pollent, saltem in multitudine, per numerum, cum Peste certare queant. Si autem Doctor à ciuitate conductus stipendio fuerit, ne aliis infirmis suis metum (sic metum suum alieno pauore cooperit) causando obsit, aut desit, spondet ingenuè, se calamo ostensurum, rem ægrotantium sibi esse cordi. Adeo vt & librum concinnet ex præclarissimis vndique authoribus, quem Communitati nuncupare promittit, sub spe scilicet infumti laboris vani, præmium rependendi scriptori. Etenim in illo tractatu, victum, exercitia, faciendâ, cauendâ, euerrendaque media, præter remedia, ac præseruatiua, ita se pollicetur distincturum, ex omnibus authoribus, quòd ipsamet Pests eo viso, de necessitate, morbida fiet. Chirurgus denique ait, Quòd Pests, quatenus febri sociatur, suis non stet regenda arbitriis. Atqui, vt res quandoque feliciter cesserit sibi: sex saltem septimanis abinde, se

faciæ, scalpri, nouaculâ, vel phlebotomo, nemini fore vtilem. Quid ager ergò Peste correptus, vtroque desertore destitutus? quid ager Magistratus per suos stipendiatos delusus? vtpote qui nil præter lucrum, vnicum totius vitæ scopum, respiciunt? Medicus ergò remittet ægrum ad impaudas moniales, quibus vt Medico, & tortori, & militi, occidere lubido est. Chirurgus verò spondet sibi motum imperterritum socium, postquam insigniter potauerit: qui quamuis nec venam pandere nōrit (hoc enim apex existimatur inter eos) nec dignus sit ipsius famulatio: attamen sæpè è silua, vel montibus, simplicia attulit, atque ideò gnarus est cuiusdam simplicis, quod an herba, frutex, vel albor sit, vel animal, hætenus dicere detrectauit. Indubiè tamen asserit, valere contra Pestem; suadetque lubens, illi committendum contaminatorum negotium. Gestiens consentit Dominus Doctor, laudatque tonsoris subtile inuentum, & curam pro republ. Adeoque conuocato socio isto, datur illi escharoticum lixiuiale, basilicon, & diachylon gummatum, simulque magistralis confectio præseruatiua, à Medente descripta. Quibus iam instructus, euadit Ciuitatis stipendiarius, ipsique committitur calamitosa plebis vita, ac reipubl. antenna: hac tamen sub conditione, vt si sinat se ab Alexianis & sororculis gubernari, tanquam superintendentibus, longâ possessione in ægros debacchantibus, annuam mercedem sit recepturus. Miseri sanè ægri, miserior Magistratus, longèque miserimus Doctor, quibus oues suas commisit Magistratus, quas lupis tradunt. Quia hac in parte, homo homini pauperi, & contagioso, verè lupus est. Quandoque autem strictus Iudex ab illis vitas, animas, pupillosque desertos exiget. Quid enim Rex facturus, si timoratus Dux multum æris à se & populo emunxerit, magnamque rusticorum cohortem suo albo inscripserit, se verò cum signifero in arcem munitissimam receperit, scripserit autem ad Tympanistam, & aliquot annonæ venditricas, vt alacriter cum tyronibus hostem adoriantur? Rex enim nonne à Ducibus suis exiget perperam cæsum militem? destructumque ab hoste opidum? Respicite ergò Patrij, & Medentes, quid non immane vobis imminet. Quia morte, & Iuditio, nihil est certius. Ex commiseratione enim vestri, & ægrorum hæc scripsi: à vobis auspico, sit mihi Deus propitius! Saltem hætenus Magistratus nesciuit, cuius generis esset Pests.

Infans Pests.

ARtaxerxes per epistolam mandabat Peto, ad se veniret, ad curandum morbum (adhuc anonymum) qui suos ciues & milites interimebat, eò quòd acceptis muneribus in hoc deuinctus esset. Respondit illi Petus, more hodierno Medentum. Naturalia auxilia popularem grassationem non soluunt. Qui enim ex natura fiunt morbi, eos natura iudicans sanat. Sed Hippocrates curat malum, ex populari grassatione. Quia diuinâ naturâ hic præditus est, & ex paruis ad magna Medicinam euexit. Est igitur diuinus Hippocrates, nonus quidem à Chrysamide Rege, decimus autem & octauus ab Æsculapio: vigesimus verò à Ioue. Ex matre verò Praxithea, ex familia Heraclidarum.

Quare

Quare ex utroque semine, à Diis ortum habet. In re Medica initiatus est à proavis, quantum credibile est hos nouisse. Vniuersam verò Artem, ipse seipsum docuit, diuinâ naturâ vsus. Et in tantum animi industriâ progenitores transfessus, quantum etiam artis præstantiâ ipsos superauit. Tollit autem nedum bestiarum genus; sed ferorum atque agrestium morborum per magnam terræ ac Maris partem, Æsculapij auxilia (quemadmodum Triptolemus, Cereris semina) dispergens. Proinde iustissimè in multis terræ locis diuinos honores consecutus, & iisdem donariis cum Hercule & Æsculapio, ab Atheniensibus factus dignus. Hunc accersere, & quantum auri voluerit, dari iube. Hic enim non vnum modum curationis huius morbi nouit. Hic est sanitatis Pater, seruator, & dolorum curator. In summa. Hic diuinæ scientiæ Princeps est. Artaxerxes itaq; scribit Hystanidi, Hellepontis præfecto. Hippocratis Coi, ab Æsculapio originem ducentis gloria, ad me peruenit: Ipsique da quantum auri voluerit, & reliqua abunde: nihil diuitiis parcens. Nam optimatibus Persarum fiet æqualis. Viros enim, qui consilio præsent, inuenire, non est facile. Hystanes porro ad Hippocratem sic scribit. Magnus Rex Artaxerxes te opus habet. Iubens aurum, argentum, & quæcunque voles, dari, fore te optimatibus Persarum æqualem. Tu itaque citò adsis.

Hippocrates Medicus, Hystani Hellepontis præfecto, gaudium.

Remitte Regi, quæ dico. Quod victu, vestitu, domo, & omni ad vitam sufficienti opulentia, fruimur. Persarum autem diuitiis uti, fas mihi non esse: neque Barbaros à morbis liberare, Græcorum hostes. Vale.

Hippocrates Demetrio, sanitatem.

Persarum Rex me accersuit. Ignarus, quòd apud me maior est sapientiæ ratio, quàm auri. Vale.

Regi Regum, meo magno Domino Artaxerxi. Hystanis præfectus, gaudium. Quam misisti epistolam, ad Coum Hippocratem, ab Æsculapio oriundum, demisi: sed ab ipso, responsum tuli, quod ad te transmittito, cum eius latore Gymnasthe. Dientyche. Vale. Rex Regum Magnus Artaxerxes, Coi hæc dicit. Date meis nunciis Hippocratem, malis moribus præditum, in Me & Persas petulantem. Sin minus; cognoscetis vos peccati pœnam daturos. Urbem enim vestram deuastatam, & in Insulam distractam, in pelagus conuertam: vt in posterum nemo sciat, an in hoc loco insula fuerit, aut vrbs Cos.

Cosorum responsum.

Visum est populo, respondere nunciis Artaxerxis. Coi, nil Merope, neque Hercle, neque Æsculapio indignum facient. Omnes ciues, non dabunt Hippocratem: etiamsi pessimâ morte sint interituri. Quam Darius & Xerxes, terram & aquam à patribus petiuerint, populus non dedit, cum eos ipsos se impotentes, velut alios homines, mortales esse videret. Nunc idem responderet. A Coi discedite, & renunciate, quòd Dij ipsi, nostri negligentes non erunt. Quoniam Hippocratem in manus vestras non dant.

Hæc sic ad longum descripsi, quo constet veritas famæ Hippocratis, quòdque popularem Pestem, per Græciam, curasset. Enimverò morbus iste, adhuc embryo, vix cognitus, vix nominatus, iam perfectè curabatur: Nunc verò sat superque cognitus, relinquitur infimæ fortis impostoribus. Refrixit charitas: itaque ereptum nobis est lumen scientiæ, ac Intellectus, & cum Hippocrate certitudo curandi sepulta est. Quamquam ingens volumen suo nomine circumferatur: hanc tamen curandi securitatem suppressit (permittente Deo) metu Barbarorum, vel zelo seruandæ vanitatis, quod stemmate deastrorum oriundus: vel quod dierum vicissitudine, sua perierint monumenta, relictis supposititiis. Vt ait est, Dei pemissu, hætenus præfata scientiæ amplitudo, & securitas curandi Pestem, euauit. Legi centum fortassis Authores de Peste, transcriptores sanè omnes, eminens scribentes, metuque mortis inexpertos ac coniecturales. Id saltem scitum: Diebus Hippocratis, nondum remedia optima morborum enotuisse. Tum enim solis simplicibus, & crudis, sanationes instituebantur, præparationibus illorum nondum excogitatis. Galenus verò, plus quinque seculis iunior, commentaria ad Hippocratem scribere annisus, & ad lubitum abduxit. Nunquam quippe argentum viuum, nunquam rosace, vel aquam vitæ viderat. Et quanquam rude esset Hippocratis seculum; tamen sanationes ipsi parebant, quæ nec Galeno hodie, nec suis vllatenus obediunt. Hippocrates minus garrulitatis, plus candoris autem, scientiæ, ac cœlestis luminis habebat: ita vt cum ruditate, visa sint secula exuisse puritatem, ac donum Dei. Quare nostra peruersissimorum morum & ingeniorum fuit feracissima. Placuit igitur Deo, veram & exquisitam Pestis sanationem, & præcautionem, vna cum Hippocrate, obdormiuisse. Saltem ab ætate Noæ, ad piaculum Dauidis, nil de populari Peste inter Iudæos legitur. Dauid tamen Pestem fami, ac bello, non prætulit, nisi præcognitam. Inter Persas verò & Græcos, præter commemoratam tabem, ætate Hippocratis, hostis humani generis, ac princeps mundi, Pestes aliquot ferocire fecit, permisso diuino, quas humanis victimis piari sibi Satan iussit. Forte, quod istud non esset concessum, vt principi tenebrarum: quantum quod futuræ Pestis præcognitionem haberet, simulque & termini sedationis suæ: vnde ortum, occasum, & potestatem sedandi, sibi violenter, fabulose, & deceptorie, vendicaret. Apud Romanos rara Pestis legitur. Et ante pauca secula, Pestis obsoleta ferè mœoria. Demum per secula rediit, sæuitque per septuagesimum, mox dein per annum quinquagesimum grassauit. Ita vt annus Iubili, nubilus fieret, & atrox. Iam Pestis, trima est Bizantij. Turcæ, à pestifera contagione, sibi non solent præcauere. Ideoque Christianos irrident, tanquam diuinæ ordinationi resistentes, luemque declinantes, irritò plerumque conatù. Vindictæ diuinæ gerendum morem, quæ cuiunque destinato, ex necessitate eueniat. Septenis quibusque annis, Pestis in Ægypto variat. In tertium plerumque annum durat hoc modo, vt testatur Polonus Princeps Radziuius. Primo anno leuiter inchoatur, cum Sol libram ingreditur, sæuitque maximè in Decembri vsque in Martium. Quo tempore calores sunt mitiores: vbi verò inualuerint, cum Sol,

Sol, anno sequenti, Leonem ingreditur, statim cessat Pestis; & quidem ita: vt si quis apostema pestiferum intus habuerit, & ad horam prædictam præfati signi cælestis superuixerit: omne periculum euadat. Quemadmodum apud nos frigora: ita hic, calores Pestem profligant; & duobus mensibus secure viuitur. Postquam vero Sol libram fuerit ingressus, rursus sensim Pestis inchoatur, & durat ad Solis ingressum in Leonem. Tertio anno, eandem seruat rationem, nisi quod de acerbitate magis remittit. Postea, si contagio aliunde non fuerit illata, quatuor anni sequentes à Peste sunt immunes. Quandoque longiores etiam fiunt induciæ. Sed plerumque malû septennio recurrit. Messis sub finem Martij inchoatur. Ante extremos Aprilis dies perficitur. Nam per Maium venti meridionales spirant, qui cremando redigerent fruges ad nihilum. Hæc Princeps ille, ibidem sic edoctus, omniaque credens, scripsit. Quibus suo satisfaciam loco. Saltem hæc non commemorat sacra Scriptura, olim accidisse Ægypto, etsi Sol ac cælum voluantur nunc eadem orbitâ, quâ olim. Parentum enim meorum memoria, de Peste, velut de rarissimo monstro, sermo. Apud nos nuper per quindecim annos yiguit. Cessat modò. Bruxellæ tum exstructæ ædes, pro contaminatis pauperibus, ipsaque mœnia fuere pertusa ad fossam Aquilonis. Quibus ædibus dudum patria carere potuit. Culpam autem in nos refero. Præceptum charitatis erat: Bouem aut asinum proximi, luto extrahe, ad herum deducito; nec secus transibis per viam. Nunc autem pecus proximi non solum non liberatur: sed ipsi deprimimus, Imò fratrem (Templum Dei) in maximis necessitatibus, & litalibus morbis, ipsi deserimus, aufugimus, auresque ad eius eiulatus obturamus. Quisque, instar Sacerdotis & Leuitæ transeuntium, se excusat ab opere charitatis: tanquam si benè operari, suæ non esset professionis; mendaxque textus, Quodcunque minimo ex hisce feceris, Mihi factum reputabo. Non mirum igitur, vlcerosis hisce dierum quisquiliis, Deum minitari peruersissimi populi internecionem: & vrbes, tanquam ager, arabuntur. Sæpe enim mecum horruï, illud antesignanum futuri excidij Vniuersi signum Erunt Pestes. Desperabam enim exinde, neminem ab Hippocrate venturum, qui amplius popularem Pestem sanaret. Sed aliunde speraui, quod sicut quæ optamus, speremus facile; & sperando, etiam credamus: ita quoque fore desperamus, quæ plurimum formidamus. Credidi itaque, & speraui, hanc securitatem sanandæ Pestis detectam iri, iterumque ante extremam mundi scenam occultatum iri omne auxilium. Saltem autumo, alias fore Pestes longè horribiliores, quàm antehac vnquam, quibusque cuncta alexiteria erunt vana. Siquidem Pestis nostra hodie bruta non effectat. In extrema verò dierum amurcâ Pestes, nedum homines; sed & feras, imò pisces & arbores, delebunt. Eruntque Pestes; non autem Pestis ordinaria. Alioque hoc signum futuri interitus esset incertum. Erunt nempe Pestes à manu Dei, ab inuersione ampullarum, vt habet Apocalypsis; contra illas autem, non est clypeus in natura futurus. Pollicebar ergò mihi, priusquam hæc scribere attentarem, Pestem sanabilem vsque ad illam temporum faciem, verumque remedium illius, ex Hippocratis sepulcro, seu po-

tius à Patre luminum, desursum petendum esse. Dicam, quæ didici in posteriorum vtilitatem.

A labe nostra immune, vt & innocuum cælum.

AB Antiquorum scriptis, ne minima anima, sciendi auidæ, consolatio, aut arumnosis, & desertisque apparuit ægris: Inprimis fidei est, Stellas esse in signa, tempora, dies & annos; nec hominem posse vllatenus officia stellarû alienare, aut ad alios scopos declinare. Quod opera manuum Domini, sint cæli; Quod Deus non creauit mortem. Ideoque nec cælum contineat mortem, morbum, venenum, discordias, corruptiones, aut causam effectiuam horum. Si quidem non ad causam; sed ad signa futurorum; ac duntaxat in temporum, siue meteororum mutationem, dierum & annorum successionem destinantur. Officium ergò cælorum, non est malum generare, causari venena, spargere, aut influere, bella serere, ac mortes suscitare. Quia cælum nequit excedere limites suæ destinationis, cæli enarrant gloriam Dei, in cuius honorem, & humanitatis ingratae vsus, creatum est. Ideoque in se potiùs continet vitam, lumen, gaudium, pacem, sanitatemque, cum ordinato continuatoque motu, Cælo nulla, à transgressu Adami, legitur communicata maledictio, nec infusa execratio, vt nec labe inspersa. Terra quidem profert tribulos, & spinas. Quia subter Lunam, est cacodæmonis, mortisque (quia peccatorum) feudum, imperium discordiarum, atque vicissitudinum. Terra nebis euasit nouerca; vallis ideò miseriarum, peccatorum labe & sarcinâ prægnans. Quia Deo placuit, non aliam fore ad quietem viam, nisi per tribulationes. Imò oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriâ, non quidem alienam, sed propriam; eò quod formam serui assumere voluerit. Credo verbo Dei, nequaquam autem vanitatibus Augurum cæli: reorque, qui Pestem à cælo oritundam scribunt, adhuc deceptos, gentilium erroribus cespitare. Cæli enarrant gloriam Dei; & opera manuum Domini, annunciat firmamentum. Cæli ergò annunciant dulce, ac amarum venturum; non autem causant illud. Imò nec amara nobis licet vocare mala: nam Deus omnia ad bonum finem direxit. Ergò cælum futura annunciat; non autem causat: & stellæ sunt nobis ad signa futurorum duntaxat, eruntque ideo signa in Sole, Luna, ac stellis. Causant etiam duntaxat stellæ, per natiuum Blas, vicissitudines temporum, in aère, aquis, terrâ. Vnde consequenter pendet mutationes, ac maturationes, tam in fructibus, quàm in corpore humano, potissimum ægrotante. Intellego quoque astra hæc nobis esse in tempora, per Blas motiuum, & alteratiuum illorum. Neque enim cæli proin sunt venefici, aut venenorum coctores, bellorum incensores, &c. Recognosco omninò illos, tanquam vicissitudinum alteratores, in qualitatibus elementalibus, quo ad stationum alteritates. Quocirca ægros variè alterari contingit, in promotione & maturitate conceptorum in se seminum: eò quod nostræ vires vitales suum omne Blas concitent ad normam generalissimi motus astrorum: non quidem velut ductorum violentium, sed præcedentium, aut comitantium. Etenim liber Apocal. non tribuit cælis, vel minimam vllam vim punitiuam; sed eandem in Angelos diuinitus distributam.

Quique

Quique proin percutientes, & ministri spiritus, dicuntur, Iudicis imperia facientes. Pestem itaque, non credam facile, temporum importunis mutationibus suum debere ortum. Quod & Eudoxus apud Fernelium sensit. Nullaque ratione inducar, vt credam, cœlos dare accretionem formam, figuram, vires, aut quiduis aliud, quod ex ante feminum proficiscitur. Nam & ante stellas natas, herba pollet at semine virenti. Adeo, tamen astra nulla essent; attamen vi Verbi naturaliter omne semen, ex se, est producendo suum constitutum: Inuitisque stellis, ac anni stationibus, imò & climatibus, per artem producuntur multa semina atque fructus peregrini. Quapropter Hippocratis epidemica, commetario Galeni illustrata, nomineque Authoris indigna, continent plurima. Non tantum quia anni stationibus morbos, & non suis quosque seminibus variasque infirmitates vni radici (id est, qualitatibus primis aëris) attribuit, adeoque effectus diuersos iniustis causis copulet: quam, quod contineant plurimas nugarum absurditates. Soleo enim in hoc iudicarios Astrologos Empiricis comparare, qui nacto vnguento, puluere, aut alio quopiam, eadem extollunt ad omnes propemodum morbos, pluresque adhuc alios, valere. Sic multi ex illis, non contenti astrorum annunciatione, cogunt, illa esse fabros, deastros, ac patronos absolutos omnis fortunæ, & infortunij, vitæ ac mortis futuræ conscios, fabricatores, consiliarios denique, & Iudices cogitationum, questionumque interrogatarum. Si itaque non contineant mortem, bella, venena, Pestem: vtique nec eiusmodi flagra super nos potuerunt depluere cum dare nequeant, quæ non habent, non continent, non causant, neque generant. Non enim nuntius, bellorum præco, horum imperator est, vel causa. Si enim Iesuita Trigautius vera narrat, Sinarum latissimo totoque imperio Pestis est insolita, & visa nunquam: cui tamen idem Saturnus, idemque Mars, & æque potenter qui nobis, præest. Denique si quibusdam terris certo Pestis sæuiat termino, recurratque præcognitis stationibus, quibus tamen olim Pestis admodum erat peregrina: Consequens esset sanè, vel illas prouincias non subiacere stellarum influentiis, vel non iisdem quibus olim; vel illas Pestes esse adulteras, vel saltem (vt opinor ego) non prouenire cœlitus. Cum nimirum ibidem non sint conciliabula stellarum, quæ annuatim dies seruent statutos comitiorum. Quid si enim Pestis, in vna ciuitate, maximam mortalium partem deleat; frustra profectò erit omnis Magistratus prouidentia, si vicina loca subter eundem Meridianum vel angulum cœli sita, nequeant præseruari intacta. Cumque stellarum influxus, vel irradiatio, sit vniuersalissima, vtcunque insaniant alij; non est tamen credendum, posse cœlitus Pestes ab astris influere ad deputata loco, vrbes, & pagos. Nam si stellarum influxus esset pestiferus, aut erit aër, vel Gas supernè ad nos dimissum ipsa Pestis, aut mera nuda qualitas per aërem descendens, quæ ad nos peruenit absque illo corpore; eritque vel concepta in stellis, vel generata in aëre nobis vicino. Si primum horum; necesse foret simul omnes mundi angulos infici, Nisi in aëre, & per aëra, canalem vel tubum, a cœlo ad nos vsque directum, & immotum supponamus: per quem etiam, nec secus, aër

pestiferus ad nos deferatur, stellarum fuligines ac inquinamenta deducens. Etenim cum distantia stellarum à terra sit multarum millenarum diametrorum terræ: non est cogitabile, quòd aliqua stellæ fuligo ad hoc centrum pertingat solpes (minusque ad aliquam prouinciam eius) quin vniuersali simul toto inficiat totum terræ marisque ambitum, vnius centri minimi spatium vicemque subientem. Itaque si terra sit minimi puncti instar, huc spectant quæ alibi dixi, de aëris regione, qua nec venti, nec ros vnquam, aut pluuia decurrunt, nec meteora suas ludunt tragœdias. Multoque minus è profundo cœli quicquam perpendiculariter defluit, aut si deplueret, non sufficerent decades aliquot ætatis Nestoræ, priusquam nobis aduenæ essent. Sin autem astra saltem dimittant meram nudamque qualitatem, Illa, vel tanto loci & diatarum interuallo, aliquoties, & aliquot annorum itinerario degenerabit, atque deficiet, adeoque antequam ad nos perueniat, nil pristini habebit sibi simile: nec posset eiusmodi peregrè adueniens qualitas locum certum inficere, nisi velut in pyxide, per Angelum deferatur. Si autem per Angelum; jam cessat quæstio naturalis, frustra que cœlos facimus pestiferos, veneficos, si Angelus sit ipse pestifer. Qui alioqui longè promptius, venenum pestilens, prope terram, aut in nobis, puam quod à puris atque infontibus cœlis id secum ferat. Qualitas denique pestifera, cœlitus delabens, si non in aëre inclusa simul descenderit, aut migrabit de subiecto in subiectum (quod Peripatetici recusant, & Scholæ modernæ) vel per millenas species sui, totiesque degeneratas, vult peregrina tota, ab ortu suo ad nos deueniet, adeoque frustraneum erit cœlorum venenum. Sin autem patetur in nubibus prope terram generari: ergò cœlum immune, atque insons, falsò accusatur. Ostendi siquidem alibi, cœlos duntaxat operari per Blas motium locale, & alteratiuum caloris atque frigoris, Nequaquam autem per venena. Vtpote quæ sunt sublunarium duntaxat proprietates formales, ac fermentales feminis alicuius. Admitto quidem lubens, telum igneum subinde visum, telum igneum ex aëre, ad locum aliquem vibratum, cecidisse: quodque Pestis subinde sit infecta. Atqui istud prodigium in primis, non ex profundo cœli sinu delabitur: sed è propinquiorei uube. Forte Satan, tonitruui comes, telum eiusmodi dimittit, quo Pestem scit minitatum: (vnde antiquitus Dei honores ad se rapuit) at non proinde telum istud, est causa Pestis. Alioqui sanè ad vnquamlibet Pestem, telum æque necessarium vibraretur. Præsertim quod Ignis proprium sit, consumere Pestem, atque venena: non autem generare. Itaque Ignis naturaliter nunquam significat Pestem, cuius destructionem continet. Estque idè eiusmodi igneum telum, portentum rarissimum, à spiritibus ad terrorem dimissum: illi, qui ad vitæ suæ emendationem illud retorserit, estque profectò scopo nostro impertinens, ac longè magis friuolum, si exinde cœlum notemus pestiferum. Sunt nempe portenta quæuis incerta, ac fundamento Medico inepta. Sed seculum si hanc pestilentem mercem protruderet (creditum enim sic est hætenus, malè que gentiles nostras Scholas deceperunt nomine epidemico) quorsum ergò tot Scriptores? quæue hætenus

aus fiere excogitata media contra stellarum importunos istos influxus? Quis enim impedit haec, ne medulla menstruatim crescat in ossibus? Itaque falso accusarent cœlum. Sat Scholis visum esto, cœlū, authorem Pestis fecisse, & remedia, suamque scientiā, sub desperationis silentio sepeliisse, solius suavis ignorantie, metusque terrore. Ergo cœli accusatio, ybique manifestam ac necessariam inuoluit inscitiam. At tandem postquam studiorum omnem contraxere neruum, suadent vitanda loca, quibus plagæ vigent, utendum cibus eucharistia, bonum ignem struendum, cauendum à sordibus quibuslibet, Utendumque frequenter Theriaca, cui, cum nondum sit simplicium sit, ingestum, quisque pro lubitu nouas cumulatim centurias addat, adeoque præstatissima censetur antidotus, quæ mille simplicium congestum continent aceruum; utque vnum de mille forte iuuet, saltem non nociturum sperant. Ista nempe sunt Alexipharmaca magistralia, ut si interim pro voto, res minus fauste successerit: culpa saltem careat, qui tot simul selectissima, multisque classicis Autoribus commendata, cōpilauit, Præscribunt quoque grata suffumigia acetum, aromatumque odores, male mendaciorum suorum memores: quasi languida eiusmodi remedia contra sua illorum principia facerent: id est, contra cœlitus per totum aërem, diffusa venena. Etenim si propter eiusmodi odores, vel barba, vel vnguis, vel denique medulla, cessat accrescere, aliquā posset spei fiduciam ingerere, quod semen pestilens lurido remedio superari posset. Itaque si vlla esset ratio causatiua Pestis, in cœlis, ea potiori iure homini competeret in cœlos, si sapiens dominabitur astris; non autem astra, sapienti. Nam potest Sapiens significationes astrorum aliqua in parte mutare, quanquam non stellarum motum. Sed istud hoc loco, est impertinens tantoperè, quantum est falsa cœlorum accusatio. Siquidem si stellæ causatiue in nos agerent effectum suum, utique sapiens mitigare posset, falsoque per cœli accusationem se medentes excusare nituntur, propter adynaton. Non est inquam vlla in nos stellarum actio præter meteoricam. Astrologi enim multa fingunt, quæ norunt esse falsa, imò & impossibilia. Quæ in theoreticis planetarum utrobique sunt obuia. Verumtamen nec natura, nec proinde. Medicina, regulam falsi admittit, ut neque suppositiones Algebrae. Itaque finaliter, si popularis Pestis è cœlo laberetur, foret necesse cœlum impugnare, & impedire, si ad radicem eundem, & non ad productum posterius; adeoque tota Medendi ars, non nisi frustranea prorsus, præscriberet pro præcautione Pestis. Atqui, tantum facinus non sibi Scholæ fidunt, ruuntque libentius ad adynata, ut suæ clypeum faciant inscitiae, queantque in Pestem mittere quoslibet ignaros, potiores, temulentosque mortalium tortores. Patet saltem hinc, quod causas Pestis haec non à fronte adoriantur: sed à tergo, & ad effectus tantum respexerint. Adeoque quicquid de præcautione dictum est, meras habere proximorum imposturas. Imitantur enim rusticum, conantem exhaurire riuum, qua prope litus in mare festinat, non autem fontem obturando. Itaque vel non credunt Pestem, cœlo oriundam: vel eorum remedia sunt desperatione ac deceptione plena. Porro si cœlum, tanquam parens iratus (ut Paracelso somniare pla-

cuit) nostra notet crimina, contamineturque nostris impietatibus, nosque suis ideò iaculis vulneret vindex, tamque calamitosè nos interimat: certè, vel deaster aliquis erit, vel animal sensituum, sibi Dei officium arrogans, & Angelorum percipientium muneri inuidens, docet nos, inuidiam rem cœlestem esse, ut & vindictam creaturæ, in hominem. Sed cur notet nostra crimina, si notando polluat: & quomodo polluetur, si peccatum sit merum non ens? Quomodo iste sagittarius perferret merum non ens? quomodo abscessum voluntatis humane, à Deo iudicauerit? etenim si nobis irascatur, & in ultionem accendatur, propter illud nihil: quomodo non magis nobis indignabitur, ubi senserit nos suas imitari actiones, & præpedire? dum scilicet placato cœlo Pestem nobis formamus nostris terroribus? longèque acerbius ferret, quod homo, inuito cœlo, mederetur Pesti, superet sua vulnera, suaque munia in cœli despectum anteuerat, aut impediat. Pestis denique, si ordinato Astrorum motu, annunciatiue, ac velut annuatim prædici posset (prout de Ægypto aliorum informationes iam antè narraui) piacula autem nostra, ordinato die, numero, & mensurâ, careant. Peccata namque pendent ex corde hominis, liberoque arbitrio: ergo ista causa non est sua effectui condigna, eiusque signo. Negant autem Theologi effectus futuros liberi arbitrij præsciri à stellis, adeoque nec scientiam, nec intellectum, habitare in cœlis, corporibusque inanimatis, Ergo ne quidem denunciant Pestem, bella, &c. ventura, à peccatis sibi præcognitis. Sat esto, Pestem denunciari, non tanquam ob causam incitatricem: sed quia Æterno placuit. Conscius ut quisque seipsum examinet, ac emendet. Nec opus est mentitas prauitates, & maleuolentias, fingere in Saturno, vel Marte: si peccata nostra sint causa effectualis contagij. Adeoque sibi contradicunt Astrologi, atque ariolatores Medici. Nec enim alioquin esset necesse tortorem reo iratum fingere, etsi eundem interimat, Sodes, cur nostræ iniquitates potius Saturnum ac Martem quam Lunam millenis aliquot milliaribus viciniorem instigauerint? Cur remotissimus Saturnus, criminum nostrorum potior vindex esset, quam Luna? Nam si aliquod astrum esset pestilens, certè esset potissimum illud, quod præest nocti, quieti, & reductioni in primam materiam. Denique si Pestis, tanquam punitio, nos inuadat, aut per Angelos nuncios, orbium motores, mittatur: Sanè nulla erit naturalis, sidentque sponte Scholarum præscriptiones ac regulæ, tam ad præcautionem, quam curationem. Cœlum prænunciandi ergo futuri præsagium est, datque signa Pestis, quæ suis reuelat Deus. Non autem cœlum præsentis Pestis effectiuum, ut neque præsciens. Errarent siquidem alioqui tam cœlum, quam directrix Intelligentia Angelica, quoties puerum in fontem Peste piaret, pro peccatore, nec piorum habitacula Pesti vquam subessent. Ac Deus prætorem iniustum constitueret, qui bonos Peste necaret crudeliter, quæ nefarios non apprehenderet. Bonos inquam, pro delictis non cogitatis, necaret. Vel hinc saltem liquet, Pestem suam habere causam in natura. Demum, si Pestis, cœlestis lucis proles, ea certè in instanti semper exurgeret: cum astrorum aspectus sint per minuta momentanei.

Quare

Quare Pestis, antequam veneno aliunde nato ad nos deueniret, primo vento dispergeretur, prima pluuia irroratione ablueretur, noctisque ac nubium frigoribus pacaretur, priusquam ad nos deueniret: & punirentur vrbes, quæ minimè peccassent. Tum est & in Paracelso ridiculum, quod sagittarius Pestis, ac notator nostrorum criminum, habitaret in Sole (in quo Deus posuit suum tabernaculum) tanquam iratus ac vindex parens, propter impuritatis contagium susceptum. Saturnus tamen ac Mars (alibi sic inconstans ait) essent criminum ultores. Itaque quocumque modo sumatur, prouidentia punientis cæli patitur iniuriâ; & Deus, blasphemiam. Adeoque dolus Paganismi includitur, siue dixerint pestilens venenum à stellis cudi, vel in vindictam criminum mitti: siue etiam naturalium astrorum cursu fabricari, per qualitates elementales annuas, vel extraordinarias, aut indirectas, ac portentosas, à Satana directas: Vtrobique in Atheismum paganorum impingunt. Nam nec cacodæmon illam, quam gentiles putant, potestatem in nos habet; nec legitur in Peste Deali alius fatelles, præter Angelos Lucis; adeoque à Sacrorum veritate est abcessisse, stellis, aut diabolo, vim Pestis generandæ tribuisse. Præcipuè vbi de Peste naturali, & non Deali disputatio occurrit, deque remediis, causis, & obstaculis est inquirendum. Nam in primis, non raro, Pestis vnico ab indiuiduo incipit, puero nempe in fonte, adeoque cæli, piaculo huius pueri, integram familiam, opidum, & prouinciam tandem, innocuum nempe pro facinoroso, feriissent, per modum Seplasiæ, quid pro quo substituentis. Denique dum Pestis serpit suo contagio ab vno in alium, saltem in secundo, tertio, ac decimo, non erit amplius venenum à cælo propinatum, aut vulnus à cælo inflictum: quasi tota ira, aut vindicta cæli, concitaretur culpa primi infontis denique Pestis, solo terrore pauidi concepta, cum in specie specialissima (etenim nulla alia existit actu in indiuiduis) non differat à qualibet alia, quæ à cælo mitteretur veneno astrorum. Ergo neque vlla prorsus erit naturalis à cælo, si aliunde nuda terroris imagine concipiatur, nec cæli sit indiga sui origo. Nam alioquin vnum indiuiduum non constituitur à parentibus, toto prædicamento diuersis. Etenim si Medicum, & medicinam de terra creauerit Altissimus; & Pestis ab astris formetur: vereor saltem, ne tanto veneno impar omnis sit futura Medicina. At saltem Dominus non potuit errasse, quod Medicinam de terra, & non de cælo miserit. Enimvero libri Regum, & Apocalypseos, sanctis Angelis Pestem attribuunt, quæ diuinæ sit vltionis pentaculum. Nec licet à Sacris recedere ad cacodæmones, & astra, venenorum pestilentium exordia. Denique Paracelsus Pestem cælitus, velut à sagittario, duntaxat in tria loca, nimirum ponè aures, subter axillas, & in Inguina diradiari scribit. Quapropter aliis membris aborta Pestis, vel Pestis non erit, vel alterius generis, & causarum disparatarum, quàm quæ Vulnus cæleste esset. Vel denique cælum sagittando errauit, vel saltem Paracelsus audendo temerè errauit. Itaque alienæ causæ Pestem fabricent, absque cælorum ope; necesse est, hos sua possessione & putatione priuandos, cælumque posthac petitoriè, litem aggredi debere. Si denique Pestis vulnus est; ergo est de-

Helmont pars II.

susceptis externis: non febris, aut morbus, constans statuto semine, & per consequens, quicquid diaphoreticorum in Pestis subsidium habetenus decreuere, falsum atque deceptorium est. Magisque opportuna erunt incarnatiua, & vulneraria. Et longè est vanissimum diaphoreticum pro præcautione, ne quis à sagittario cælesti vulneretur. Esset enim sudoriferi ignauus clypeus, contra sagittam, tam virulentam, tam potenter, procul, rectâ, tantoque otio vibratam, securissimeq; ductam per tot millena millia stadiorum pergente telo. Decebat enim Paracelsus, sciuisse carbunculum, glandulas, bubones, atque parotides: uon quidem ipsam esse Pestem, imo nec vllatenus esse vulnera: sed signa, productum, & effectus pestilentes. Quippe nam & Pestis aliquot signata, frequenter non nisi à morte, visuntur. Quapropter cælestis ille fundarius, non Pestem; sed Pestis effectum, quoties vulneraret, immitteret. Seròque nimis venisset, vt Pestem, siue vulnus, illis partibus infligat ei, qui iam antea per Pestem obiisset. Quidam nempe continuo vomituriens, cum cephalalgia, moritur sub continuis deliquiis, infra horas septem, ab inuasionè ægritudinis. Mox autem circa obitum tingitur supra umbilicum, vsque ad clauiculas, frequenti stigmate, seu vibice nigro. Curiositatis ergo, cum Anatomicus deficeret, dissecui eum, ac inueni os stomachi, eschara nigra iam cauterizatum. Denique vibices non sunt vulnera, prout nec glandulæ, vesiculæ, bubones, &c. ergo saltem cælum non vulnerat in Peste. Quæ si aperiantur, vlcera vocas Paracelse, & distinguis contra vulnera, ac temetipsum. Fabulosè ergo nimis cælum nostra labe inquinatur, harumque est iniuriarum vindex, prout & criminum nostrorum Grapharius & vulnerator. Paganismi id fuit olim inuentum, vt cælos, atque deastros, incultum blasphemè attolleret. Blasphemè quoq; atque stultè, à Paracelso quatuor elementa ingeruntur, qui eorum Reolleum ridere assolet. Potissimum quod in ortu Medicinæ nostræ, quaternarius elementorum sit sublatus, tam in natura Vniuersi, quàm mistorum constitutione. Etenim, quàm inscianter adæquatur quaternarius elementorum, ternario emunctoriorum præfato: Paracelsus enim, arcanis potitus, planè heroicis, pro morborum supplantatione, destitutusq; scientia Medica, à Patre luminum descendente, titulumque Monarchæ arcanorum, sibi vltro assumens, hocque ausu principatum Mendendi inuadens, de Peste, tanquam sibi ignoto hoste, tractauit. Proinde Pestem quandoq; cælo, aliàs Soli, Solisque quandoque elemētis, ac non raro solis Pythonissis, Sagis, ac Spiritibus tam infernalibus, quàm elementalibus Deastris adscribit, plerūque oblitus doctrinæ sui Paramiri: vbi Pestes entis naturæ, entis veneni (quasi aliqua exstaret veneni experts, aut venenū aliquod non esset naturale) entis astrorum, (quasi Astra supra naturam, aut extra eam essent) entis sagarum (has Incubis, Lemuribus, sylphis, &c. tribuit, contra ens etiam astrorum distinguit, ne Sagæ sint fortassis sapientes, qui dominari dicuntur astris) & entis Dealis proponit, suiq; ibidem oblitus, & entis imaginatiui, cuius temen præ cæteris memoriam habuisse debuisset. Nisi si fortassis malit, ens imaginatiuū non posse causare morbos, aut nusquā vigere, nisi penes sagas.

Ooo

E n i m v t r o

Enimverò, vt Pestem diuinam arbitror spernere remedia naturæ: ita quoque, si quæ dæmonibus aut Sagis propria (quod non est credibile) at saltem suam cælo originem neutiquam deberet. Enim alias si Pestis sagaria esset, solitis esset longè immanior, propter adiunctum virus externum, & agendi promptitudinem, ira cæcodæmonis acceleratam & ampliata. Frater P. Boucher, Minorita, in suis Orientalibus peregrinationibus, vt testis ocularis, narrat. Quod quantumuis Ægyptus, sit alioqui Pesti valde obnoxia: pridie tamen inundationis Nili, quotannis deducere rorem singularem, quem Elthalim vocant, cuius aduentu promptè & vniuersaliter sanantur, quotquot Peste decumbunt, ac sani præseruantur ab ea, eodem rore. Etenim si hoc verum, nec fat à principe Radziuillio inuestigatum: nil quicquã temen exin deduci potest, quo Pestem cælitus causari naturaliter sciamus. Cum exin saltem sequatur, meteororum quædam esse sana, alia verò quibusdam noxia. Quod hætenus nemo negauit. Etenim quamuis Sol, pridie inundationis Nili, ferè ad locum eundem quotannis redeat: non tamen simul eadem stellæ comites recurrunt. Dein, Ros ille non est cælorum aut stellarum proles, neque ex Blas cælesti meteorico: sed pridie inundationis, iam dudum inundata est terra altior Abyssina, calida, & australis magis, quæ magnum de se vaporem nitro refertum emittit (est namque tota Nili aqua nitrosa) qui vapor in rorem nedum resoluitur (Ros, alibi mella, tereniabin, manna, entali, ac laudanum velut gummata, plorat: atque apud nos, quotidie ros maialis sale saccharo scatat) currentemque comitatur Nilum: sed totum aërem Ægypti, etiam humectando abluit, ægrorumque corpora reficit, non multò secus, ac imber terram, post longas ariditates. Saltem ego, Sacris admonitus, sperno Augures cæli. Itaque si cælum sit Pestis grassantis causa: deberet esse pariter causa alterius cuiusque Pestis. Quia idem specie ens, easdem sortitur causas constitutiuas, à quibus ipsa species suam recipit identitatem. Itaque constanter nego; virus pestilens cælo nasci, aut à stellaris dimitti: Pestes verò omnes, quæ non singulariter pro flagro diuinitus mittuntur, sunt vel endemicæ vel terrore quodam fabricatæ. Quæ autem contagio haustæ mutantur, sequuntur semen atque fermentum suum. Pestis autem endemica, licet hauriatur forinsecus occasionaliter, non est tamen Pesti adscribenda, nisi Archei nostri terror. Ideam virulentam pauoris, ab ente endemico concepti, prius fabricet; vt mox constabit. Nego insuper, vllam Pestem esse epidemicam. Nam tamen si aer, multorum corpora ad varias putredinis confusiones inuitet: nullatenus tamen est Pestilentis veneni causa primordialis. Nam sicut omnis putredo à Peste differt: ita vicissim quoque venenum Pestis, à quauis corruptione, filiã meteori. Quod nisi ritè atque perfectè sit cognitum: nullatenus quoque poterit intelligi natura Pestis: multòque minùs eiusdem radicalis sanatio promoueri.

Ad huius capitis calcem addam argumentum, quod à ripa fluminum desumitur. Vidi nempe, qui vt Peste infectas vitarent ædes, Antverpiã discesserunt; alios, qui fugerent ab variolis, quibus ante biennium, adhuc vultum cicatricibus maculatum circūferabant, in Scaldi ipso percussi sunt morbis, quos vitasse præ-

sumebant, seque vt sanos subduxerant. Memini quoque me quondam puellam leprosam curasse Viluordiæ, quæ dum jam per 7. hebdomadas sanata putareretur, & Antverpiam rediret, confestim per totum corpus in ipso fluuio, sibi lepram repullulare sensit. Quæ demum ad me rediens, sanataque, per semestre, Viluordiæ est morata, Attamen eodem die, quo, domum rediret, in Schaldi rursus repullulauit occultata Lepra. Mulieres quoque in abortum proclines, et si rhedâ rus pergerent, feliciterque cessisset iter, attamen in fluuio, seditionem in utero sentire, domumque à ripa per rhedam vectæ, illas in cruentum profluuium lapsas, sciuimus. Adeoque fluuius, cæli æmulus, planetis creditum honorem suffurat. De Æstate loquor; adeoque nec frigus in fluuio, tum aliquod suspectum, incusandum. Frigus etiam Autumnus, rus pergendo, non obstitit, quantum mense Augusto; fluuius, nec concussio rhedæ, quantum quieta nauigatio, noxæ attulit. Non demum vapor aqueus, in fluuio oberrans. Siquidem diebus pluuiis, rus itinerando, calamitates narratæ non obuenerunt. Vt neque degendo circa palustria loca: sed in fluuiis, fluxui ac refluxui opportunis, pauculæ horæ, has molestias Pestis, ectymatum, lepræ, exanthematum, inuexere, quæ in terris non oboriebantur. Argines enim, ac ripas, bis quotidie aqua deserit, foetetque olidus fracedine fundus. Quapropter fluuius tacendo loquitur, probatque fracedi odoris nocumenta, quæ mox dicam. Idque enim proin non tam litori maris, quam ripis est vernaculum. Nam ad falsum mare, arenamque fundi, nulla est fracedo, qualis in semidulcibus fluuiis; quare aquæ vix vnquam prorsus nitidæ sunt, carentque odore sui proprio. Cælum ergo à labe nostra est immune, vt ab accusationibus ignorantum insons, culpâ caret vindictæ. Reliquiæ sunt paganismi, quas nisi Schola Medica deuitarit, sciat Datorem luminum, beneficia sua non illi porrecturum.

Peregrina Lues noua.

NON omnes morbi venere simul in palæstram. Felicia sanè Atrorum secula, quibus pauca infirmitates strinxerant gladium in humanam imbecillitatem. Productumque deinceps transgressionis Adamicæ, sensim nobiscum naturæ primordia associauit. Astrologi enim adhuc hodie confugiunt ad determinatas siderum positiones, iras, incompatibilitates oppositorum ac luminum malignorum congressus. Quibus prima febris, prima Apoplexia, primave Pestis, nata sit. Etenim quanquam non soleam indagare præterita, quæ non proficere, sed obesse possunt: multòque minùs assueverim inquirere, quorum adipisci, dare, facere, aut sperare non possem demonstrationes: attamen non potui non irridere paganismi futilitatem in Astra relatam. Assentiret namque facilius Astrologis, si nata semel febris, obortaque apoplexia, cessassent, cessante illâ constellatione. Demonstrare quoque si possent, quoniam interim hospitio febris habitaret, distracta semel stellarum febrilium dislocatione. Quapropter libro de vita longa, morborum omnium, mortisque introitum in naturam humanam, primus, ex sua origine describere, coactus fui.

Adeoque

Adeoq̄ue dilucidè intelligo, ac optimè cerno, reliquias esse paganismo, quicunque ausus est, stellarū officia & destinationes extendere supra textum Sacrorum, qui dicit, quòd Astra sint nobis in signa dñtaxat, tempora, dies, & annos Etenim si Astrologis assentiret iudiciariis, arbitraret febrile, aut Pestilens semen, semel natum, deinceps intrasse in naturam: nec quidem, ut maledictionis cuiuspiam, sed creationis deinceps prolem, continuare suam generationem. Sed cum morborum plerique tandem in sanitatem desinant, si saltem non cum ægris ipsis oppetant, ac plerumque citra nouæ prolis suscitationem: necessum esset, si propter infausta (ridiculum, aut blasphemum Christiano verbum) quandoque lumina incepissent: nec hodie sine illis incipere posse, si lumina illa, sic congressa, æstimanda sint causæ morborū efficiētes. Credidi itaque, postquam penitiūs abditorum corporum analyses per Ignem explicuissem, quod eadem morborum ab initio fuerint, quæ & hodie principia, atque radices. Quod satis clarè demonstraui in tomo de origine Medicinæ, tractatu De morbis in genere. Crediderim quoque, aliquot morbos initio fuisse, velut in sui infantia, leniores, celerioresque progressus, & faciliores quoque extinctiones, ob pristinum naturæ humanæ robur. Aliquot tamen morbos, sui initio ferocios fuisse, qui nempe non ita adhærent radici humanæ fragilitatis; sed lvi ut peregrinæ consocij acquiruntur. Etenim ut olim naturæ erant robustiores, quæ ut susceptrices, ita & medicatrices sunt morborum: sic modò, experior semina morborū indies proficere, robustiūs incidere, ac incalescere, nostramque naturam, quò it longiūs, proceditque intempestitiūs, eò quoque negligentius remediis auscultare. Enimverò patrum nostrorum diebus, surrexit eatenus incognita lues Veneris, cum pedissequis & asseclis. Notatur autem annus 1424. & Parthenoplica obsidio, ætas luis, eiusque prima natiuitas. Quicquid demum semel penes nos adoleuit, quanquam in illis indiuiduis pereat: speciem tamen deinceps seruat, & vix interire scit, quamdiu perennat mandatum eius, qui labem in carnem mittit. Ut Scorbutum, Pestis Hungariæ, &c. nostris abauis ignota. Nostræ autem plagæ crescunt indies, quia & impietates multiplicantur. Mutantur quidem morbi, laruantur, augentur, degenerantque per sui copulam. Itaque animo maiore, deinceps de remediis altioribus pensitandum. Ex morborum deterioratione autem, conieci securiorem Medendi artem, quam quæ hætenus per frequentem phlebotomiam, & venenosam resolutionem laxantium, confertis vinculis, mortales in cæmeterium præcociter trahit, surgere debere. Ominor enim, quia cerno luem Veneris, cæteras ægritudines, mutaturam in sui obsequium: & Pestem quoque hætenus fore degenerem. Enimverò legi quandoque in reuelationibus S. Brigittæ, item in vitis S. Dominici, Vicentij, Ferrerij, Colettæ, &c. vnanimi apparitione illos vidisse, succensum velut Mundi Saluatorem super mortalium impietatibus, minatumque exitium generis humani, tribus jaculis. Cuius apparitionis ergò, B. Vincentius, ordinis S. Claræ reformatricem Colettam, ut valentiis Hispaniarum, superintelle-quali raptu, viderat genubus postratam, ante

Helmont pars II.

sacrosanctam Trinitatem, quod exoraret auxiliū Deiparæ Virginis. Ut Christianus Dominus auerteret piaculum, comminatum pro commerito supplicio. Desertaque patria Valentia, Gaudium venit Colettam inuisurus: quam statim agnouit eandem, quam in raptu præfato viderat, & quærebat. Pro Auaritia enim, erat sagitta bellorū, quibus malè parta malèq; reseruata auferuntur. Pro Superbia, erat in manu omnipotentis iaculum inedia, famis. Ecclesiasticos autem, quos huiusmodi peccata ut plurimum tangunt, minatur fugere vtraque lancea, à possessionibus, contra vota accumulatis, malèq; vsurpatis. Ac tandè contra luxuriam, sagittam contagij in manu gerebat. Non equidè Dauid casu, sed altiori ductu, Pestè pro bello & fame elegit. Quia totus populus, Regis ad exemplum, fornicator erat. Singulare id saltem in præfata visione, quòd diuersis Sanctis, & annis apparuerit, & quidè ante luis aduentum. Quoniam non est verbum quod Dominus non reuelauerit suis Prophetis. Postremò, sub dierum plenitudine, sub maturitate, & completo peccatorum numero, immisit longanimis Deus vnā trium sagittarum in medium carnis, ac confestim apparuit Lues Veneris, planè atrox, virulenta ac festinanti putredine necās. Deinceps autem aliæ ægritudines, imò & ipsa Pestis, labè eius contrahit. Nec veteres motbi respondent amplius descriptionibus auorum, nec consuetā feudi obædientiam remediis exhibent. Nam olim ingentes exercitus, citra vltraque Europam in Asiam, & Africam ducebantur, absque notabili contagio, idemque vtròque ferè militum census inueniebatur. Ast iam, mox ab incæpta obsidione, moriuntur intus præsidia; & simul obsidentia castra, acceleratamq; expugnationē, cōfestim popularis Pestis subsequitur. Vix enim vnica præsidij cohors foràs proficiscitur, quam non sequantur currus, ægrotis onusti, etsi post se nosocomia onerauerit. Præcipui Chirurgorum cum admiratione plangunt, quod non ita pridem, minora quæuis vulnèra vix solitis obædiæ amplius medelis. Porro lues ista primum visa legitur in obsidione Neapolis, anno 1494. Medentes quoque ortum eius per coniecturas attētant. Aliis enim placuit luis natiuitatem, Indiis occiduis tribuere, quodque ibidè esset vernacula atque solita. Aliis verò placuit orientalē plagam accusare. Verantamen occasus Indias immunes fuisse, testatur ipse Ferdinandus Cortesius, earundem expugnator, quodque post aduentum suum nondum ibidem enotuisset; sed eò aduectam luem, cum Æthiope, mancipio Pamphili de Naruaez, Fortè enim ille recens ab obsessu Neapolis eò appulerat, secumq; attulerat. Etenim cum ibidem primum lues videri cœperit, disputatū inter nationes, an Gallo, an Hispano, an verò Neapolitano, cedere debeat in triumphum. Interim nemo vnquam Lusitanum accusauit, ac per consequens, Indiæ Orientales immunes erant. Nam Lusitanus in obsidione Neapolitana non erat, qui veteri odio bella Castellanicæ lubens promouebat. Solus tamen Lusitanus cum exclusione Hispanorum, cum lustrauerat, sibi que subegerat. Nec his obstat, quod ab olim Lues Sinensibus sit assueta. Nam inde nemo ad bellum Neapolim aduenit. Ergò si verum sit, quod Lues in Sina, antiquitate vincat: potuit ibidem iisdem initiis incepisse: prout catapultas & typographiam ante nos habuerūt.

Ooo 2.

Saltem

Saltem Lues nusquam ab Endemicis, nec ab æris infectione. Hinc etiam non passim popularis. Quod autem non à Sinensibus ad nos sit delata Lues, Patet ex guajaco, cuius usus apud Europæos 80. annis senior, quam radicis, Chinæ. Dein, quia introitus in Chinam sub pœna capitis omnibus externis vetitus. Nunquam Lues tum visa in oris extra Chinam, quorsum tamen Sinenses propter commercia quotannis excurrunt. At guajacum ab occiduis terris venit. Alii fortè proinde contendunt, hanc Luxuriæ luem incepisse, eò quòd annonæ caritas, mactatorum carnes cadaverum suffurari, & clanculum coctas diuendi, suasisset. Sed cum anthropophagis Indis hæc Lues, ante aduentum Panphili, fuisset ignota, non recipitur horum allegatum. Astrologi quoque, quibus omnium contingentium causæ referuntur in siderum aspectus, & rotationes: ne quid citra cooperationem astrorum fieri concederent: peregrinum tum stellarum situm, duntaxat super Neapolim influxisse aiunt, quem multà anxietate quærentes, nondum inuenerunt. Quasi idem astrorum situs nunquam fuisset antea. Refragantur enim Sacra Astrologorum huic opinioni; vt suprâ iam probaui. Paracelsus tandem Luem, multis libris & additamentis inconstanter indagans, copulam leprosa meretricis cum scabioso milite Gallo inculcat, ac detestatur. Quasi vero antea nulla leprosa, Gallo sordido commista fuisset? Ad refellendum autem sufficit: quod Paracelsus etiam in hoc sibi sit inconstans. Negans pluribus libris luem veneris, per se, esse morbum, sed aliis morbis permittit duntaxat asseclam. Attamen omnis contagio, siue ex Lepre, siue ex Peste, vel aliunde contracta, verè & actualiter in se est morbus. Nec mirum quoque, causam Luis hæcenus nesciri ab iis, qui ad naturæ solius contingentias respexerunt. Credo potius, tot apparitiones Sanctis non fuisse frustra, ac sine scopo ostensas. Credo itaque, initia Luis, ex vibrato iaculo Iræ diuinæ, hausta fuisse, & in naturam insita, non secus, atque lagenarum inuersione, terria quandoque peribit mortalium persona. Non quidem, quod velim luem libidinis reputari, sui principio miraculosam penitus, quia à piaculo incepisset. Scio namque, vt in natura habet modo: ita & sui initio fermentum, atque radicem reperisse. Enim verò Laicus quidam, & vir sanctus, ad quæstiones arduas aliquot, solitus visiones somniales, ac non rarò quoque per mentis abstractionem, notiones intellectuales suscipere: nimia forte curiositate has indagauit quæstiones. 1. Cur ista Lues præterito seculo, & non antea erupisset: cum antea actis paganorum diebus, scelerata quælibet scurrilitas nunquam defuerit? 2. Vnde, si non ab Indis, in Europam venerit? 3. Quæ causa sit continuitatis, & mitigationis, ac mutationis, si diuinitus immissa? Nam miracula raro per contagium transeunt, ac nisi tradito mandato, suam in natura causam nanciscuntur. Sed neque Deus insontes punire solet, prout innocentes sæpè Lues veneris inficit. Dixit itaque laicus, sibi in visione intellectuali visum jumentum, quod penè diffunderet ulcere færido. Qui morbus equinæ speciei proprius, nostrates den *VVorm*: Galli verò *le Farcin*, uocant. Vnde sensim equi purulentâ carie pereunt.

Hoc autem jumentum vidit, velut canibus in escam deputatum, totum tergus vitium habens, etiam circa vas naturæ. Nec præter istam visionem, aliud responsum habuit. Quapropter se suspicari dixit, Quod in obsidione Neapolitana, (qua primùm dira hæc Lues emerit) nefando aliquis peccato, congressum cum ejusmodi jumento habuisset. Saltem inde conjicio, non antea visam raritatem morbi, quippe non credam facillè unquam ejusmodi peccatum in talibus terminis ab origine mundi commissum; estque morbus, lui venereæ similis, & equinæ naturæ affinis ac familiaris. Potuitque ideo suum fermentum (permittente Deo vindice) in humanam familiam naturaliter transplantasse, diuinitus quanquam antea comminatum. Miscuisse inquam contagium equinum, infandæ libidinis actu tum (perinde atque hodie à meretrice sordida vsque in testes maris, attrahitur ipsa Lues) gonorrhœam, carcinoma, atque bubones venereos, &c. propagans. At curiosus esse desino, quoties res scita nulli est vsui. Nisi forte inuis hinc meditari, equos sic vlceros curari remedio Luis; & vice versa, per Hydrargyrum optimè præparatum. Seruit saltem consideratio Luis degeneri ac multiplicatæ Pesti hodiernæ, & quæ plures sub aduentum Antichristi, minata sunt in Sacris. Addo. Quod sit infamis, infeceritque omnem mundi angulum: effectu quoque palàm ostenderit: quod sit commune carnis piaculum, serpensque ad vltiorem, & vulgò adhuc incognitum scopum. Enim verò primo exordio nedum dudum ignota stetit: sed & sui medela infeliciter tentata, & adhuc hodie vulgò ignorata. Vnde cōsequens, quod incertis & ferocibus pharmacis, mortaliū vita indignata, humiliata modò sit, vel ante cuiusque iuuetutem. Quæ debilitas, perpetuitatis quandam spondet perennitatē, ac in abstemiis, ad quartam saltē generationis periodū. Imò licet ampla hominum caterua nunquam Luem contraxerit: nihilominus, cum vix vnquā Lues sit bene curata, manserintque reliquæ: supersunt sanè, qui Medetum temeritates experti, se ipsis sunt longè facti infirmiores. Pars namque veneni, quæ permanet penes illos radicalis, præter horridas vntionum, suffituum, & saluationum torturas: necesse est eo titulo, illorum successores, notabili debilitate diminutos. Est nimirum Lues, non quidem morbus, constans materia ex qua: sed fermentum duntaxat venenosum, solidis, vel liquidis nostri partibus, odoris instar, affixum. Adeoque (quod Lui est singulare) nedum partibus constitutiuis; sed & excrementis, siue aliorum morborum materiis, quas attingit, se incorporat; quia afficit, & commiscetur. Cumque facilius sit veneno contaminare materiam, iam recenter destinatam in excrementum, quam partem adhuc viam, adeoque & hæcenus resistentem. Hinc fit, quod quicumque manifesta, vel occulta habent quorumcumque morborum iniria, Luem facillè contrahant; proinde se etiam, in varias morborum laruas associatione transmigrat. In mulis namque vlcera, pustulasque; in aliis, ossium caries erodit, dura excitat tubera, Bubones item, phlegmones, & purulenta apostemata facit; vt & vulnera curando pertinacia. Alibi quoque peperit paralysis, podagricos infultus, Icterus, Hydropemve, &c. Id enim

Paracelsum

Paracelsum decepit, putantem, quòd Lues non sit in se morbus, quia aliis morbis adhæreret. Nam maledictio iam naturæ, ab origine sua impura, superueniens, non procedit generatione consueta: sed suum corpus in corpore aliorum morborum reperit prædispositum. Ita vt paritas conceptus, natiuitatis subsistentiæ, & effectuum in alieno corpore (humano nimirum) prodant paritatem ortus Luis, & aliorum morborum, eò quòd pariter à præuicatione emanent. Morbi itaque, à Luis ortu deinceps degeneres facti, veneni alicuius ritum imitantur plerumque: nec vllus sat horum causas inuestigauit, quare nimirum plerique morborum, euaserint contagiosi, atrociores, frequentiores, tardius difficiliusque fugaces, quàm olim. Indubiè namque, Pestis est solito frequentior, minimà nos occasione arripit, crudeliter incectatur, faciliusque dispergitur, quia associata nouo toxico. Etenim plures velut desperantes, putabunt naturæ nostræ vires, sic ad sui finem breui decurrere. Sed verbo Dei est stabile imperium. Non est vllus horum defectus, speciei humanæ incorporatus: sed per accidens, indiuiduis tantum adhærens; cumque omne peregrinum adhærens separationi sit obnoxium, nullumque alienum sit idoneum, vt simulacro Dei medullitus jungatur in constitutiuis principis, Idcirco omne peregrinum, sui ortum, augmentum, ascensum, statum declinationem, ac interitum necessario suscipit, ac tandem etiam sponte, per vltiores propagationes, restaurationem expectat. Sunt namque Verbi, semina ac species, in æuum durabilia. Hinc consequens, hospitem exoticum tandem cedere deberet è stabulo, in quod clanculario errore furtiue irrepfit. Eò quòd Verbi potestas, nullis tempestatibus, longitudine motuum, aut dierum vt nec hostis technis, præscriptionem patitur, Diluuium quidem terram cooperuit, quia homo viam suam corruerat: Ideoque & hodie ob peccata, penes nos infirmitas locum sibi fecit, & accrescit indies noua, & comminaturalia insuper. Anno 1540. sub Paulo III. circa Autumnum in Apulia prope Tarentum, prima apparuit Tarentula, monstrum ab vrbe sic dictum Araneæ simile: sed duplo majus. Quod deinceps mansit in specie, & à Tarentino, in Agrum iam Romanum quoque transplantatum est. Etenim apud Danièlem omne monstrum, in republ. excrescens, à mari venit. Confirmantur hoc monstro noui adulescentes, qui homines à se demorsos dementant, & exultando tripudiant, tanquam bene egissent, credendo adulatoribus. Anno 1550. in Augusto, Galli primum viderunt triticum, quod vocant roratum, siue melitum: in arista adhuc vicidi, halecem fumatam odore referens: in matura verò, nil nisi fætidum puluerem atrum: popularium vtinam, non morborum plurium causam. Plaga est, quæ nobis magnam furatur annonæ partem: fata nempe est zizania contra potètiore Prælatos. Quam vtinam nocerent ac præuiderent! Anno 1556. nostris horis maritimis primum apparuit Scorbutum Veteribus ignotum. Quod gingiuas & anhelitum, inficit, ac crura: quia & interiora obsidet. Designantur homines eodem anno in Belgio admissi, dulci contagio, intus & extra subvertentes, sibi credulos. Non ita pridem febris castrensis adorsa est nostrates, contagio profun-

Helmont pars II.

do; absque siti, & cal ore enecans; denotanturque qui, specie pietatis, noua spargunt & suspecta dogmata inter domesticos. At saltem nil, quod, hostile est semel, deinceps in sua specie intercidit, quia ad flagrum immittitur, ac cæci non indagamus causam occasionalem, medium letiferum, finem, atque remediū. Hodie enim Castrorum impuritates, paludum, domorum, cum pauperie militum, velut insolitarum ægritudinum causas incusant, ac inter Medentes super hanc aleam, tota vertitur præseruatiua. Quasi verò olim castra puriora, dum Pestes, atque insolitæ febres, nondum erant. Scio etenim, quoties febris de stemmate antiquarum cadit in corpus, quod actu Luem veneris patitur, aut quandoque habuit, malèque sublatam, confestim ista febris se associet, venenosis Luis quinquiliis, vnde venena mutuatur, quæ maligna & castrensis dici cœpit, seseque propaget contagio, etiam in infantes à Luc. Estque videlicet ex febre mare, & Luc matre, tertium, ab vtroque genitorum diuersum monstrum, ex morbis specie distinctis. Hinc nimirum tam febris, quàm Pestis, laruata euaserint, atque incognita. Sic namque Lues in chao febrili pergit dispergi, sitque iuris communis. Infelix nampe Luis monstrum, vtrique parentum dissimile, proditorium venenum, Pestis æmulum euadit, Pestemque ipsam, nouo putredinis fermento, truculentiorē parit solito. Non absolum ergò hodierna castra, plures ægros, frequentiores mortes, & contagio maligniores suscitare. Nec immeritò, castra faciliores sequuntur infectiones, quàm alioqui populosiores vrbes: quippe miles ciuibus, Luis est obiectum propinquius. Pestis itaque, fomitem pro fauilla reperiens, faciliè recurrit.

Opiniones Veterum.

Pestis, omni seculo, in supplicium, ab iratis Diis missum reputatur. Ideo Hippocrates omnem penitus contagij labem, diuinum in morbis nominat. Gentiles adhuc hodie ad sua transfugiunt Idola. Gentium Dij, dæmonia Christiani verò, ad vnicum æternum Numen recurrimus, subsidiaque Sanctorum imploramus, Quia gloriosus ac mirabilis Deus in sanctis suis, qui impetrant, quæ nobis nostra denegant demerita. Vrbes enim sunt in Belgio, quibus sodalitas Sanctorum, in Peste patronorum, hætenus immunes seruauit ciues ab olim, quotquot missi in auxilium & seruitium Peste contaminatorum. Nemo enim, missus à decano conciuē, ac sodali, etsi infectissimo à Peste inseruiret, vnquā à Peste apprehensus fuit. Sic est. Capilli capitis cuiusque sunt numerati. Non cadit frons de arbore, absque permissu Dei. Multò minùs nobis aliquid accidit, præter permissum & præscientiam Domini. Sic verum est. Pestis quædam à manibus Domini venit, quam euitare est impossibile: quia venit ab eo, qui sagittando errare nequit. Idcirco de hac Peste nequicquam scribere decreui: vt neque de sanatione miraculosa. Nam si naturalis Pestis per miraculum sanetur, ea ad Medicum non spectat. Plurimi quoque nostrum opinantur, Pestem non nisi diuinitus mitti, absque concursu causæ secundæ. Mahumetani quoque, cum Calvinistis credunt Pestem ineuitabilis prædestinationis sortem. Nec ideò loca vitant aut infecta corpora,

vt neque nocua quælibet. Malè sibi constantes. Siquidem fera nocere nequit, non consentiente Domino, adeoque hac ex parte non sit Peste nocentior: à feris tamen cauent, ac se tutantur. Angelia quoque hætenus proprio Pestis nomine caruit, quamque ab olim Plagam nominat. Quantum ad causas eius attinet, Græci primum, ac dein Arabes, ac quicumque alterutris horum sese dicarunt, Pestem in duas causas conuocant. Quarum priores catharticas, siue præcedentes; posteriores verò, connexas, coniunctas, continentes, comitantesque proximè, appellant. Enimverò cum cernerent, humanum corpus, sua per indiuidua, & habitationum loca, magna differre varietate; excogitarunt vniuersalem causam pro Peste. Cælum nempe, per Astrologos seducti, culpârunt: quod noxio lumine, motuque suo, æra diro tabo conspergat, cuius proinde virus, epidemicum nominârunt. Ac tametsi viderent morbos, contagio infames; oriri occasione stagnorum, antrorum, fundorum venenosorum, mineralium, sordium, montium, vliginum, vallis, aut sentinæ, vnde variæ putrilagine scaturirent: non tamen vnquam horum morborum indolem, Pestem æstimarunt: sed separato nomine, endemicos vocârunt. Quæ distinctio mox dubium omne sopiuit, ac ipsimet in hoc sopore stertuerunt. Gausi, in vniuersalem culpam, ad cælos relegasse suam inscitiam: seque securos autumârunt, nequicquam diffidentes, quod se culpa, illos verò ignorantia, cælum vindicaret. Separabant item mortuos, atque moribundos, suas obedientias detestando, non exauditum iri, neque accusaturos Medentum incuriam, ac ignorantiam. Præsertim vbi primus semper Medicus aufugit, suum deserens ægrotum in vitæ desperatione. Quocirca Astrorum ariolatores in sub sidium conuocant, vt si horum errores mundus tueatur, coniunctâ criminatione cælum infament, quòd ab abstracti luminis tabido veneno, ærem & aquas inquinet. Ast prædecessoribus multò audacior Paracelsus voluit, labe nostrâ cælum infici realiter, peccata nostra stilo notare, & inuito se recipere, idèò vltorè esse, ac neces proritatum. Pestem autem esse merum vulnus, sagittari cælitus; vulnerando astra, currendoque lædere. Quodque hæc vulnera, tribus duntaxat, neque pluribus locis, (nesciens hæc esse emunctoria nostra) ponè aures scilicet, subter axillas, & in inguine. Alibi quoque non tres: sed 4. Pestes statuit, iuxta elementorum numerum; Quadruplici, multumque diuerso remedio, superandas singulas. Alibi verò & quintam Pestem excogitat, à Gnomis, Sylphis, Nymphis, Satyris, Lemuribus, Gigantibus, Faunisve immisfam, quod hos fortè quintum autumaret elementum. Porrò à ciuitate Stertzina rogatus, pro selecto alexiterio: stellata atque elementata remedia priora deferens, finaliter potui ex Theriaca, Myrrha petasitide, terra sigillata, spermate ceti, Asclepiade pimpinella, Valeriana, & Caphura, cum optima aqua vitæ totus fesus est. Per inaduertentiam scilicet, immemor abreptus in centum simplicium confusiones, à se multoties, ac serio, mox ante detestatas. Denique nec simul conueniunt, quod aliàs elementum Ignis, nequicquam à cælo distinxerit sapiùs, & nihilominus quatuor Pestes, ortu, causa, ac remediis distinctas tradiderit: quas vni dicauerat

cælo, quod alibi solum Pestis authorem voluit. Vult etiam quod crystallus, Arles, itemq; gemmæ, in aère gignantur, ac cælitus decidant, quæ alibi sui immemor fructus aquæ nominat, volès crystallum nisi meram esse glaciem, frigore constructam. Tandem Pestis cum sit malum cæli, & ex quarto gradu; tincturam autem gemmarum dicat optima istius vulneris solidatiua, adeoque & remedium 2. gradus curare Pestem quarti gradus. Inanem quoque defatigationem miserror, circa remedia, quæ inter millenos Spagyros vix vnus præparet. Friuolum est enim tot condere libros, ac tandem recurrisse ad vix parabilia, in morbo populari, vbique obuio. Friuolum est enim, vagante Peste, totam regionem alere carnibus ciconiæ aufugæ sub autumnum, aut lingua leonima appensa. Cuncta enim eiusmodi ignaram detegunt iactantiam; non autem communem charitatem, in tam ærumnosa ægritudine. Nec enim Hippocrates eiusmodi remediis, Pestem è Græcia fugauit. Alioquin enim pauper (si remediis, ac obsoniis præciosis, Pestis profligaretur) vitæ desperatione, fortunæ inæqualitate, multo planctu, iustoque dolore, Deum, personarum exceptorem, sibi que denegata remedia, pensitaret. Nunquam itaque credidero, Deum, in natura minùs sollicitum, sanando pauperem, quàm diuitem. Historia Lazari enim, & epulonis diuitis, mirificè pauperes confortat. Tandem Paracelsus libros Pestis edidit à Pythonissis ac Lemuribus generatæ: Lemures inquam, Satyras, &c. quos cacodæmones negat, in generanda Peste, Sagis coæquat: remedia tamen, tantæ Pestis addere, neglexit. Quasi titulo Monarchiæ arcanorum sibi præsumto, sat esset, non calcasse priorum vestigia, ac plurimum sumi: ac parum ignis fuscitasse, sui que memoriam risui exposuisse. Nam libri de Peste, de Tartaris, de Mineralibus, &c. multum garrum, parum fidi auxiliij continent.

Diuisa Pestis.

Paramirum Paracelsi, totum incumbit, vt persuadeat omnem, absque exceptione, morbum, ac nominatim quoque Pestem, totâ specie, esse quintuplicem. Causis nimirum, ortu, proprietatibus, atque remediis distinctam. Primam autem speciem vocat ens naturale, originaliter ex fructibus elementatis procedens, hancque Pestem, libris de Peste ac pestilitate descripsit, quibus sit ibi sibi interpret. Ast cum constet, fructus, quos Scholæ hætenus credere mistorum elementorum, esse folius aquæ: (prout de ortu Medicinæ alibi clarè demonstrauit) necessariò quoque ruit iam doctrina elementorum, pro Peste saltem. Aliud dein morborum prædicamentum vocat ens astrale, tanquam è cælo stellato depluens. Prosequiturque multis libris de Peste, hoc duntaxatentis genus, omisiss aliis. Adeoque cum alibi cælum, cælorumque fructus, cum elemento ignis confundat; etiam rursus coincidet Pestis astralis, cum naturali, & elementalibus ignea. Tertium dein morborum genus generalissimum, vocat ens Veneni. Quasi Pestis alicubi esset quæpiam veneni expers: & quasi suum venenum, extra, supra, aut præter ens naturale, Pestis haberet: Sic itaque Astra, contra ens naturæ distinguit Idiotismo præpeditus.

At

At saltem, quasi naturalis, & Astralis Pestis, non essent venenosa? Quartum tandem morborum genus, vocat Ens spiritale, cooperante scilicet cacodæmone, cum suis mancipiis. Reuocat huc quoque execrationes, & desperationes hominum, omittit verò inprimis suos faunos, lemures, nymphas, satyras, &c. nisi hos fortè velit cacodæmonum socios. Saltem præcipuum negligit cardinem, propriam nimirum phantasmam: cum non raram Pestem solus terror generet. Putatque quinimò ens spirituale externum, essentialem Pestis causam, per quam species duntaxat dirimendæ sunt. Adeoque effectus duos, diuersos specie, solis causis distinguit, externis occasionalibus, & accidentalibus. Etenim certum est, siue Saga, tanquam venefica, pestiferam labem alicui connecteret, siue alio medio id fiat, ac proprio naturæ vitio, saltem Pestis inde scaturiens, vtrouique vna & eadem est. Quintum postremò genus Morborum vocat, Ens deale, siue fidelium, satis stupidè, Deum à morbis ipsis non distinguendo, prout alioqui liberum est, naturam ab effectu suo nequaquam separasse. Pestis autem Dealis nusquam, vel amplissimis suis scriptis mentionem fecit. Ad me autem quantum attinet, ens astrale non admitto. Licet id Paracelsus non vni tantum ex quinque; sed sibi inconstans, omnibus vniuersum pestilentis commune fecit. Similiter denique confundo Ens Veneni, cum Ente naturæ. Nam si non venenum: nec etiam ob id Pestem continet. At cum Pestis separatim habeat ortum atque progressum, à reliquis morbis distinctum: Imaginationibus atque terroribus non parùm alligatum. Hactenus omnem Pestem facio spiritualem. Non quidem sagariam ob id; verùm perturbationibus Archealibus tributariam, ac merè naturalem. Quod si verò cacodæmon collaboret pro excidio humano: transplantabitur quidem & incrudescet ferociùs: non tamen ad hoc superstitione (licet aliter Paramirum sentiat) opus, aut à naturæ deuia est Pestis; quippe subter naturam, ens spiritale euidenter, velit nolit, semper militat. Duas igitur specie diuersas Pestes agnosco solùm. Vnam nempe quæ immediatè ex manu Omnipotentis, per Angelum percutientem mittitur, ad executionem occulti Iudicij suæ Deitatis. Hanc etenim quanquam Pestem etiam agnoscam: eandem tamen Domino meo integraliter committo, dicoque resignatâ mente: Fiat voluntas tua, Domine. Siquidem nec remedium opto, nisi pro tuo beneplacito. Finaliter itaque Pestem naturæ tantum vbiq; attingam, vt Philosophus. Eamque voco alteram.

Coniuncta causa Veterum.

IN morbis vniuersim, citraque exceptionem, causam efficientem & externam, nullam, præter occasionalem, quandoque de morbo in genere, differendo, duntaxat agnouit. Nunç porò cælum, aditum dare ad Pestem, iustè me negare ostendi: licet interim Blas meteoris, occasionaliter queat disponere subiectum patiens, ad faciliorem impressionem susceptionis. Itaque ad connexas Pestis causas attendam primùm: quas à Veteribus, relatas in humorum corruptionem, & caloris accensionem legimus, ideoque conscripta præseruamina, per sola humorum putredini resistendæ deputata putata. At nondum

Scholæ explicuere, quisnam, quoque nomine donandus sit ille humor vitiatùs, calore accensus, qui in venis, visceribus, vel habitu, sit titio Pestis. Nondumque nouerunt, in Ægypto grassantem Pestem caloribus magnis, potius extingui, quàm excitari. Prout apud nos, Pestem plerumque magis autumnalem, quàm æstiualem esse. Quandoque enim Scholæ ad endemica recurrunt, tam domestica, quàm forinseca, quæ quomodo putredinem incitare vel accumulare creduntur: Denique pro præseruatiuis, quæuis corradunt simplicia, etiam calida, modò fide Herbariorum commendentur. Hæsitatio verò Scholarum, vt & remediorum, infausta incertitudo, regitur vbiq; diuersarum ridiculo complexionum euentu. Quæ sanè fuit hactenus communis ac trita aptitudo, ad excusandas excusationes in nece. Tandemque Doctorum, ingenti Pestis formidine, detegitur diffidentia Scholarum, super legibus, & librorum pollicitationibus. Saltem infaustas ægrorum obedientias demulcent per vnicum: *Sic stabat in fatis*. Ergo patienter ferendum, quod miser ille, vel iste esset relatus in oppetitorum catalogum. Interim opus Pestis truculentum, truculentior verò, qui opem iactitat, nec adfert: Celer progressus Pestis pro ignauia tanta Medentù. Toxicum in Peste, vnico saltem non feriat momento, nec pacem admittit, quod inducias spernit. Si qui ergo essent humores, in facto esse, putredine in Peste corrupti, cum nequeant retrocedere, ac red uci in pristinum integritatis nitorem: sitque naturalis morborum in Scholis indicatio prima, atque potissima, nocuum citissimè euellere, vanaque esse cuncta auxilia, nisi quæ promptè penitusque peccantem colluuiem sequestrent. Sequeretur, quod vniuersalia præsidia (purgationes scilicet, ac venæfactiones) sint potissima Pestis auxilia. Quæ tamen multoties iam sunt reperta mortem accelerare. Necessariò quoque corrumpit hypothesis, quæ humores corruptos, in Pestis causam proximam introducit. Nam reuera Pestis potius humores alimentares inficit, quàm quod hi Pestis causa sint. Alioquin alibi sat constare feci, naturam, humores in cruoris constitutione, non agnoscere, nec habuisse vnquam. Quocirca nec hi quicquam causare valent; quia sunt non entia. Denique si humores, in fieri esse putredinis, essent Pestis connexa causa, saltem debuissent Scholæ nomen illius humoris edidisse, itemque modum ac processum exposuisse, quo isti humores corrumpuntur, iamque corrupti sint causa coniuncta Pestis. Itemque, quo pacto celeriter sequestrentur, cum impedimento suæ impressionis, in partes vitales. Debuissent denique locum designare, in quo, tanquam nido, prægressæ corruptionis pestilentis conciliabulum esset; Nam si hoc centrum, sint venæ vel viscera (vbi prima excrementorum nempe contingit sequestratio) prorsus damnosus esset omnis sudor: quippe qui à stomacho vel hepate, trans vitalia viscera virus duceret, & non per consuetas sentinas propius effunderet. Sic namque Lues veneris, sola gonorrhœa, in testibus domicili-um eligens, si per solutiua, à lotij officinis retrahatur, vt per venas in Aluum recidat: necessariam Luem in totum spargit solo isto transitu. Multo itaque magis Pestis, si humores in propriis officinis inquinasset, transeundo per sudores

tes efferretur, infallibiliter totum quicquid vitale intus est, contaminaret. Sin verò habitus corporis, locus sit putrefactionis humorum pestilentium: iam ridicula erit Medentum diæta, quæ humorum putrefactibilium generationem creditur præpedire. Denique à quo, & vnde putredo in cruore euchymo ante Pestem in corporis habitu, vel etiam centro, oriretur: ne quicquam de his omnibus est determinatum per Scholas. Satis putantes, obiter dixisse, humorum corruptionem, Pestis esse causam coniunctam, eò quòd Doctores profugi, hanc non nisi ex obliquo semper adspexerint. Cum enim aduerterent, epoto laxatiuo, carnes & cruorem, illo toxico tabefactas, & humorem flauum, vel pallidum mucum, obscurioremve cruorem, nondum plene transmutatum effluere: asseruerunt, nedum cruorem, sed vniuersum corpus, constare quatuor specie diuersis humoribus, in eosque iterum resolui. Vsq; adeò Pestem in bile flaua, igni comparata, vel in atra, ideòque melancholica dicta, terra, Saturno, atque malignitati propinquiore, hanc putredinem pro Peste inchoari autumauerunt. Equidem licet alibi quatuor humores, ceu futile atque nocuum commentum, abunde demonstraerim: donemus tamen iam per suppositionem falsi, quòd cruor constaret ex illorum quatuor commixtione: attamen dum cruor iam esse desit, mutatusque est formali transmutatione in alimentarium ac vitalem liquorem, qui singula membra immediatè nutrit, auget, & fouet; altem cum veritate Philosophiæ pugnat, quòd liquor ille alimentarius, per formalem transmutationem, degeneret à sanguine, nondum obliuiosus esset prioris fortis suæ, ac compaginis. Puta si vinum, cereuisia, liquamen carnis, cum succo olerum, vno pastu sint bibita, mutataque in cruorem. Certe istud cruoris constitutum, non est vnum, quamdiu ex quatuor illis diuersis, adhuc commistis, constat; verum quatuor duntaxat vnum fiunt, dum per formalem transmutationem facta sunt productum nouum, qui est cruor. Pariter itaque, etsi cruor ex quatuor humorum connexionem constaret: attamen cum iam sint vnum, & non amplius quatuor, non erit istud vnum, amplius istud connexum, ex quatuor primæ vis liquoribus datis. Nec morbi inde resultantes, queunt aut inesse, aut in sanando reputari humorosi, non magis potentes retrogradi, in quatuor illos fictitios humores (etsi dentur fuisse reales) quàm semel factus sanguis potest retrocedere in pristinum vinum, cereuisiam, ius carniuum, & succum olerum. Patet ergò, quòd Scholæ contra omnem Philosophiam ignorent, formalem esse transmutationem, dum ex cibis cruor; & ex cruore fit liquor alimentarius. Patetque ex præfatis cæcitatibus, maximam morborum partem, inscitia principiorum concreditam in Scholis. Ego autem ingenuè protestor, me in nullis a uorum libris vel minimum vnquam subsidij auxiliaris punctum reperisse. Nam quamuis plures, velut opitulari, conualescerent: vidi nihilominus decuplo plures, qui ab initio inuasa Pestis, iisdem remediis vsi fuerant, infeliciter periisse. Theriaca enim ab olim, semper iuuamen pollicita, eiusque aqua modo excellentior passim habetur, vanam quanquam opem continere sciant, qui Pestis nõrunt proprietates. Nam Alexiteria, quæ venena cohibent, nil

certi habent contra Pestem, Ideoque Medentes Academici, sub infida Theriaces tutela, non audent se contagio Pestis exponere. Est quippe venenum Pestis, longè secretum à quouis alio. Religiosi autem quidam in Vrbe, nil intentatum relinquentes, quòd nummos vel æstimationem comparent, selectissimam Theriacam magno profitentur vendere. Sed cum nemo militans Christo, implicet se negotiis secularibus, à pomposis eiusmodi stentoribus cuique apprimè cauendum hortor: quippe non per ostium, sed supernè per tectum intrant, non vocati, in Medicinam sese intrudunt. Hi enim cum Tullio penè dicent; Populo imposuimus, & famosissimi pharmacopolæ visi sumus. Etenim Theriaca Hippocrati, Pestis domitori, adhuc ignota, triplum mellis, ad puluerum cunctorum copiam, recipit. Simplicia quoque sexaginta, discordia, arida, dura, conclusa, cruda, excrementosa, & plerumque à bimatu inueterata. Hac inquam sub cocti mixtione mellis, multum effœra redduntur. Mixtionem quoque, & digestionem, à debili febriente exigunt, præcipuè veneno vitiato stomacho, & ab Archeo intus consternato, ac confusè tumultuante. Quapropter parum auxilij, & consolationis minimum præstant. Nam Trochisci de Vipera cocti, monitu Galeni, cum sint capitale simplex Theriaces, facile docent, aquam theriacalem esse plane ridiculam. Nam si vipera, distillando, aquam theriacalem virtute statueret: quidni Trochisci de vipera, prima sui, ac Galenica coctura, omnem istam exuerunt medendi prærogatiuam? Quid igitur agam cum semper discantibus, & nunquam ad scientiam, quam docere profitentur, peruenientibus? Plurimi enim (teste Seneca) ad scientiam istam non perueniunt: quia putabant se peruenisse. Tandem nec fat fuit, tacuisse nomina humorum, quos putarunt putrere ante Pestem, esseque huius comitem causam: quinetiam transfiliendo transeunt ipsam corruptionis quidditatem, quæ paucis subinde horis suam absoluit tragœdiam. Videntur enim Medentes suauiter puluinari cubuisse, paries dum proximus ardet, & eleuato semel super cubitum capite, dixisse arrestum. Pestis est morbus contagiosus, ex putrefactis humoribus, febri connexus, acutissimus, & valde periculosus: quo dicto, caput rursus reclinasse in fomnum pomeridianum, opimè pastos, qui fomnus, sub tantâ luce, oculos illorum iterum clausit. Mundus interim eiulat, videns effectus, hoc iudicio notatos, non causas, vt nec denique remedia. Quare rustici comam in temporibus, vtraque manu scabentes aliud arrestum pronunciant. Non (aiunt) opus est multo studio, nec tot libris, quis dicat Pestem lethalem, & contagiosum, quòd quisque sua didicit malo. Præstabit itaque fidos auxiliares consulere, non amplius somnolentos, à Peste fugitiuos, atque remediiorum ignaros.

Preparata sedis.

NON sufficit, Pestis causas Scholis incognitas demonstrasse, nisi meas dicam experientias, Pestis causam, diuersos eius processus, in fieri, peregrinas proprietates in facto esse, præseruationes, & sanationem. Initio itaque repetam, quæ alibi demonstraui.

Scilicet,

Scilicet, in natura, duas saltem esse, nec plures causas. Materiam nimirum, & efficientem, quam in Peste Archeum, Vulcanū, siue semen appello. Pro materia saltem, non sit aliqua indiscreta Hyle, quæ nunquam existit, nec erit in natura; seruitque Mathesi, & non speculatori naturæ. Materiam itaque pestilentem specto, in relatione ad efficiens sibi internum. Materia ergo Pestis, & sylvester spiritus, veneno tinctus. Materia autem ista, tripliciter ad finem sibi propositum tendit. Quoniam vel forinsecus adueniat, totaliterque ac perfectè pestifera, à pestilenti ægroto, vel cadauere, locoque, vel utensili, inquinata, exhalans: Vel cruda adhuc à fracido Gas terræ intrò trahitur, quæ dein intus recipit fermentum appropriatum, ac gradatim tandem venenum pestilens in nobis acquirit. Vel etiam totum intus nostri exitium, materialiter & formaliter, absque externo adiutorio subinde conficitur. Quod autem non sint plures modi, quibus Pestis fiat, patet ex diuisione. Nam vel tota intus generatur, sine exotico auxilio: vel ab extra, incidit. Eaque est perfecta, in materia & forma veneni, solius appropriationis, & applicationis indiga: vel est adhuc cruda, imperfecta, ac velut embryo. Vnde saltem in primis obuium euadit, quod Pestis non primariò semper cor inuadat. Nam vidi, qui tangendo pestiferas chartas, eo ipso senserit dolorem velut pungentis acus, moxque pestilentem Anthracem in Indice digito ostendit, & post biduum occubuit. Porro triplex præfata materia, vtut prima sit planè venenosa: vtrobique tamen se tenet intra numerum causæ antecedentis. Non secus enim atque toxicum, ore tenus assumptum, non est ipse morbus, aut mors: sed tantum causa occasionalis eius. Non enim quicquam corporeum, agit immediatè in vitam aut potestates vitales (vt pote quæ sunt de natura luminum cælestium) quin prius sit receptum, redditumque velut domesticum. Cumque venenum aliquod iam sit factum cuius nostri diuersorij, deglutitum nempe, vel attractum: nondum tamen adhuc potest ad occulta vitalium seminaria ingredi, vel admitti (quia est toto sui esse, externum) quin prius venenosa qualitas, agendo in vitam, suscitèt Archeum (omnium alioquin agendorum sub suo imperio, author atque opifex) in sui defensionem. Etenim alioqui non agit Pestilens venenum, instar ensis, qui omnes in eodem attractus, sui momento, vulnerat æqualiter: Pestilens autem virus quosdam ferire non valet. Archeus itaque, cum ex sui indole habeat animales perturbationes, passiones, confusiones atque alterationes, subitò de se profert imaginem suæ alterationis conceptæ: illamque Ideam, in particula propriæ suæ substantiæ, in qua concipitur, depingit. Quæ sic instructa mortis imago, est ipsamet Pestis. Siquidem Pestem non aliquam nudam qualitatem existimo, tamen non alibi, quam in corpore, tanquam accidentia in subiecto in hærentiæ, existat: sed Pestis est ens, naturæ virus per se subsistens in nobis, constansque materia, forma ac proprietatibus suis. Quod alibi tractatu de morbis penitissimè demonstraui. Hic monuisse autem sat est. Quod vita nil operetur vincendo, aut perdendo, nisi per motus vitales animæ sensitivæ, quæ non est solita, nisi per Ideas operari in Archeum, motuum quorumcunque exsecutorem: prout nec Archeus

aliter operatur in corpus. Quocirca hoc loco obiter notandum est, quod materialis atque immediata causa morbi interna, sit ipse morbus, non aliter quam causa materialis, in homine, est ipsum eius corpus, à semine in senectutem vsque perseverans: non autem quod aliqua sit hominis causa materialis coniuncta præter ipsum ipsius corpus. Quod est ipsum generationis productum, ex causa materiali nempe, & seminali efficiente interno. Quæ hætenus Scholis fuerunt obiecta, adeoque causas morborum occasionales reputarunt internas, immediatas atque coniunctas, planè adhuc distinctas à producto. Quapropter hoc loco denique repetendum est etiam, quod in Physiologicis docui. Nimirum sex in nobis esse digestiones. Etenim in tribus prioribus, sua Retenta, suaque esse excrementa. Quæ cum singula in se, iuisque regionibus sint molesta, imò per complicationem atque extrauagationem odiosa euaserint, in Transmissa ac Transmutata degenerant, variosque inde inducunt morbos occasionaliter. In quartâ verò, ac quintâ digestionem, ostendi, non admitti vllum perceptibile excrementum. At in Sexta, quæ est Transmutatorum, plurima occurrere stercora spontanea, errore vegetatiuæ: aliqua insuper aliunde transmitti, vt etiam non pauca violento Susceptorum imperio, degenerare. Quæ hætenus à Scholis nescita, idèoque & neglecta fuere. Quæque idèò nomine proprio caruere, horumque effectus morborum, ridiculè in quatuor fictos humores hepatis fuisse translatis, & adiudicati. Quocirca primus ego, quanquam Tartari causas morbificas expulerim, ne tamen videar cuncta, ex animositate, velle innouare, has sordes, Tartarum cruoris hîc vocabo: licet etymo improprio, quia veri nominis defectu. Excrementa ergo eiusmodi, siue aliunde, in habitum corporis sint delata: seu demum propria facultatum errore, sub transmutando facta, seu denique externorum violento imperio, ibidem degenerata: Tartarum cruoris nuncupo. Non quod reuera sint Tartari, in materia, ac modo, Tartari, vini: sed quia ex bono alimento, iam deturpato, quod antea secundum erat, atque vitale, postea hostile euaserit. Hæcque idèò præmonui, vt sciatis Tartarum cruoris esse productum Pestis, illumque facillè fieri à causis efficientibus pestiferis. Quin imò nondum sat est, dixisse Tartarum cruoris, productum Pestis esse; sed insuper oportet locum præfigere. Docebo enim mox, pestem esse venenum terroris: idèoque notauit, sedem eius, siue nidum primitiuum, esse in Hypochondrio; vbi videlicet prima terroris humani est conceptio, siue perturbationibus externis, seu demum sponte conceptorum motibus, contingat. Quamobrem adsunt in Peste, vomitus, delirium, dolor capitis, &c. quæ suo loco in Republ. Splenis depinxi. Itaque si Scholæ, Tartarum hunc cruoris, pro causa coniuncta posuissent, adhuc tamen ab inuicem diuersi essemus. Quatenus quod penes illas, causa connexa esset, Pestis productum apud me est. Nam Pestis, heteroclitico modo, nos inuadit. Nec eius materia coniuncta, est aliquod solidum corpus, vel liquor visibilis, vt neque idcirco conspicua aliqua putredo: sed solum Gas, separatum, ac degeneratum ab Archei substantia. Quicquid autem visibile, vitiatum in Peste occurrit, non est

est de ipsa materia Pestis, siue non materia ex qua; sed est, vel materia occasionalis, de qua ante, vel est productum, siue fœtus, in quo Pestis sedet tanquam in nido. Quapropter Anthrax, bubo, aut eschara, non sunt materia primitiua Pestis; sed effectus ac productum, quod Pestis sibi parauit. Nam plerumque est Pestis tam atrox, ac velox: vt simulatque in Archeum est introducta, nequeat obmittere, quin de humore alimentario partem aliquam non subiiciat suæ tyrannidi, habetque in ea. Quocirca si putridus humor, causa immediata Pestis esset, profecto putridus fuisset, antequam putruisset. Cum nempe ipsa Pestis, sibi paret vitiosum illud productum, quod Scholæ vocant humores, adhuc indefinitos. Fernelius enim, Scholis paulò sagacior esse voluit, nouitque idè, Pestem non nasci, vel consistere è putredine quatuor fictorum humorum, vt neque ex aëris calore, aut frigore: sed ex veneno aliquo, abditarum causarum alumno. Denique aduertendum: quod cum tartarus cruoris, siue vltimæ digestionis vitiatæ scoria, susceperit fermentum Pestilens, non minùs, quàm cætera transmutata, priuilegium habeat exhalandi per poros, siue vlla post se ridèntia, siue residuo capite mortuo (sic Chymici vocant residuam à distillatione fœcem) si nempe humores fuerint alimentarij: non autem si ipsa solidorum substantia, in escharam, aut anthracem, sit ambusta. Sic nempe, multò duriora Luis Venereæ tubera, ossibus, velut æqualia, arrepto resolutionis concilio, penitus evanescent. Quanquam autem tartarus cruoris, præfata quoque gaudeat prærogatiua, quoties extra vitæ æconomiam, vt infamis, est proscriptus: attamen dum in pus, aut virus saniosum transmutatus est, pellem prius erodit in escharæ speciem, quàm quod vaporem tenus transludet. Idque scilicet ob impressam peregrini fermenti labem, qua degenerauit in transmutatum formale. At si odorem fermenti quidem hauserit tartarus cruoris: sed nondum sit transmutatus: fiunt glandulæ, bubones, &c. quæ sudoris profluuiò, citra cutis apertionem non rarò terminantur: vbi præfata alia id nequeunt. Hæcque omnia ferè à Scholis in Catarrhos sunt relegata. Totus ergò tartarus cruoris, domesticus quidem partus est: sed nothus, qui vi, destructione, & errore intrusus. At cum remedia naturæ, sint subnoxia tantis digestionum aulis: & corpora, præstantiæ tam eminentis, possideant violentiam atque agendi robur, itemque sordes amistas, aut teras difficiles habeant non sat profecto æstimata est Pyrotechnia, quæ vnum subinde simplex è altitudinis graduat, vt omnes digestionum sordes, in extimas vsque oras, persequatur cum vindicta. Alioquin in vltima digestionem, plurimi occurrunt languores, inter incurabilia à Scholis relata, ob vnicam solius remedij culpam, quæ defectum comitatur, & accusat. Non secus atque Sagarum opera sanatione destituuntur, quod negligantur remedia, quæ in mali radicem eant. Siquidem diabolica eiusmodi incommoda non tam corpus, eiusve sordes apprehendunt, quàm Archeum ipsum: qui cum sit velut hominis lucida imago, sequitur, quod dum ille spiritus, in aliquo sui corporis organo, detorquetur; idem membrum patiatur Archei symptomata. Adeoque quicquid patitur

spiritus, vitæ sensusque rector; necesse est, patiatur corpus: non autem contra. Neque enim vno crure mutilus, proinde mutilum generat. Quia spiritus non est defectuosus. Nam quicquid corpus patitur, licet hoc idem sentiat spiritus: non tamen hic contrahitur, nisi passio ad extremum vergat. Id est, intra vitæ radicem, siue spiritum insitum confermentetur: prout de colica spasmode alibi ostendi. Tartarus ergò cruoris, non est mirum, si ab Idea Archeali concitetur. Quotusquisque enim est, qui nescit, quòd indignatio, confusio, triste nuncium, terror, &c. statim appetitum edendi tollant: suspiria, vel lacrymas concitent? & insolitam sarcinam præcordiis subtendant, quatenus nempe alimentum sextæ digestionis, in stomacho degenerat, vbi videlicet eiusmodi passiones, proximè fabricantur? Hic ergò cruoris tartarus, semel degener factus, hostis mox more infestat. Ac prout canis semel rabidus, rabiem sua morte luit: Ita tartarus ille, semel proscriptus, inque sordium numerum relatus, nunquam deinceps in gratiam redit. Quia quicquid Archeus semel deserit, confestim moritur, quodque mortuum est, non amplius reuiuiscit, nec pacè cum hoste init. Itaque vindictæ cupido, & philautiæ indignatio, in primo naturæ fonte, radicibus conata sunt, manifestius quoque insurgunt in subiecto perfectiore: adeòq; in sensitiuis, potestatis irascibilis thymosin, ac gloriam sibi vindicant. Quare tartarus ille cruoris, Peste subactus, non paret amplius vitæ legibus, sed pristina obediētia suæ pœnitēs, furoris libertatem effrenem sibi arrogat, eoq; nos truculētius infestat, quo fidentius semel abdita intus Archei consilia receperit. Quod symbolizare nominat Scholæ. Tum enim est fur domesticus, cui viæ ad thesaurum, promique intestini, sunt cogniti. Quam enim celeriter necant, pauca puris guttè, sub cranio? quamque atrocitatem non minatur cruor extrauenatus? quam crudelis, vel vnica spina in apostemate? non mirum itaque, morborum ferocissimam Pestem mox parere suum productum, sedemq; si non repererit, sibi statim faciat. Restat tamen sananda Pestis spes, quòd tartarus ille, suumq; Pestis diuersorium, diffletur debito sudoris exterminio. Quod intellige, quandiu manserit in specie liquabilis tartari. Alioqui namque si partem solidam arripuerit, spes vitæ intercidit, nisi ipsa pars arrepta statim sequestrari queat. Ectymata autem, strigibiles nigræ, aut vibices, Archeum denotant affectum. Pellis namq; sunt tincturæ superficiales; quam si profundiùs apprehenderint, etiam cauterizant. Cumq; Archeum immediatè penetrent, præ cæteris celerrimo indigent remedio. Notatu quoque dignum, insensilem diaphanæam, in Peste, differre à sudore. Eò quòd diaphanæam, siue insensilis transpiratio, sit materia alimèti, adeòq; etiam tartari cruoris cõtaminati: sudor verò est de substantia Laticis. Tráspiratio autem, cum sit continua, etiam citra sudorem: Hinc fit, quod sudor potissimum abluat, & sicca transpiratio ob id rarò ad Pestis sanationem sufficiat. Abluensque sudor copiosus, idè ciendus. Vt dum pestilens tartarus transpirat suaveneni nequitia, sudorè partim eluatur, partimque discessus mora acceleretur. Hic liquet difficultas à Scholis notata, & non diremta. Nimirum, cur aliquot defectus stomachici, non vomitu, aut secessu; sed solo curentur sudore.

Eò quod consistant in Retentis stomachi transmutatis in Sexta digestionem; non autem in cremoris residuis. Pestis itaque plerumque in stomacho incipit, ibique tartarum patrat ac inficit: in quem perturbationes Archei suos fecere mox impetus. Non omnis imaginatio concupiscibilis ibi suam sedem habet, atque Ideam fabricat. Maximèque circa stomachi orificium, vitales vires celatæ sunt. Vt alibi multoties ex professo demonstraui. Quia autem tartarus cruoris, forma est mucaginis; Hinc Pestis idea, lubens in glandulas protuberat. Stomachus namque eiusque Archeus, quia continuam imaginandi societatem in cerebrum mittit, hinc parotides ponè aures. Per diaphragma verò in pulmones atque axillas penetrat, oriturque spirandi anxietes. Pestiferi autem odores in stomacho parati (quod nos, odoribus carbonum sæpè experti, vomimus cum cephalalgia, ac deiecta appetentia) vomitus frequentes cum dolore capitis comitantur. Sin autem pergant ad hepar. Iam bubo in Inguine,

Imaginantur Mineralia & Herba, suo modo anomalo.

Quicquid per esse reale subsistit, quodammodo seipsum amat: quapropter etiam sensum amici, vel hostium: id est, suarum commoditatum, ac molestiarum habet. Quare Philautia cubat in gremio naturæ. Res autem, vix vnquam eodem statu, absque vicissitudine permanent. Ergò aliquid tolerant. Sin ergò patiantur, viamque destructionis ambulent, necesse est vtique, causam habeant, vnde dolent. Quare sympathy, & antipathy, etiam in Lapidibus (In Magnere autem manifestissimè) notantur. Quæ tamen absque sensu consistere nequeunt. Vbiunque autem iste sensus est, licet obtusus; contingit etiam speciem imaginationis aliquam, subiecto suo conformem, comitari. Aliàs namque est penitus impossibile, aliquid sibi consonum diligere, appetere, attrahere, & applicare, vel aliquod aduersum fugere, nisi reciprocè sensus aliquis, cognitio, desiderium, auersioque obiecti adsint. Quæ cuncta claudunt in se obscuram sensationem, imaginationem, ac selectionis aliquam imaginem. Alioquin enim, quomodo res mouebitur, aut alterabitur ad obiecti sui præsentiam, nisi ipsum sentiat sibi adesse? Si sentiat, quomodo alterabitur, nisi sub conceptu passionis sibi sensatæ? ac nisi sensatus ille conceptus aliqualem in se includat imaginationem: In hoc angulo (nota Lector) abstrusa jacet omnis occultarum proprietatum cognitio, quam Scholæ à sua indagine proscribere, desistentes vnde incipiendum erat, iuxta axioma; Philosopho auspicandum, vbi natura desinit. Deliberaui itaque exquisitius demonstrare, quòd inanimatis inhabitet species sensus, phantasiæ, imò & electionis: analogâ tamen ratione, iuxta capacitatem & gradum cuiusque. Non interim heic zoophyta commemoro, quæ probandi longinqua absentia, viderentur multis ridicula. Nostrum autem paradoxum offendet neminem, modificatè intelligentem. Inprimis indubitatum est, quin flores aliquot Solem comitentur, tam diebus lucidis, quibus Sol non splendet, quàm ipsis noctibus: Attestantes sibi motum, sensum, & dilectionem Solis esse, vtpo-

te sine quibus impossibile est, occultatum Solem comitari. Etenim prout fero Solem in occasu amittunt (qui dum festinat ad ortum, non operatur apud nos, in umbra terræ morantes) attamen siue interea nox caleat, frigeat, serena sit, aut pluuia, non cessant tamen flores æqualiter sese ad ortum flectere. Quod inprimis designat notionem ortus, & circuitus solaris sibi esse, qua parte sit occasurus, & oriurus. Voca instinctum naturæ, vel vt lubet. Nomina namque, rem non mutabunt. Res ipsa est facti; factum autem causam suam in flore habet. Hæc autem in plantis, vegetanter animatis sic contingere, minus mirum. Sed quod etiã locum in mineralibus habeant, sic probo. Nihil ferè in natura fit, absque motu proprio: nihilque sponte, aut à seipso mouetur, nisi ob proprietatem, à creatore sibi inditam, quam Veteres amorem proprium nominant, voluntque hætenus Philautiam, naturæ esse primogenitam, pro sui custodia datam, atque innatam. Hæcque vbi adest, necessaria quoque est Sympathy, ac Antipathy, respectu diuersitatis obiectorum. Sic nempe auium cæterarum plumæ, à pennis aquilæ cariem subire dicuntur; & pannus, è sponte mortuarum ouium lanis, mox sponte foraminibus, quibus pertunditur, velut carie resolutus, quibus locis, fila mortuæ lanæ decurrunt. Quod non fit, si totus pannus pariter ex mortuarum sponte pecudum lanis construatur. Sic tympanum ex pelle ouina & asinina mutescit, si vicinum pulsetur ex corio lupino. Pellis Gulonis (animal voracissimum in Sueuia est) homini quantumuis sobrio, nec venatori, somnia ordinaria excitar de venatione, ac comestione: si dormiens eadem tegatur. Sed quid hæc ad mineralia? Vado equidem à vegetabili regno, per res mortuas, sensum ad Lapidem, quibus Sacra magnam virtutem tribuunt. Enimverò lapides nec mouere, nec alterare possent, si sensationem sui obiecti non haberent. Nec enim corallus rubens pallesceret, si carnem mulieris hysterica gestatus tetigerit, nisi eius defectus ipse sentiret. Lapidum manifestissimus enim Magnes se prodit, qui se proprio motu locali vertit ad aquilonem, quasi vitalis esset. Non autem, quod à Borea trahatur. Quoniam si Magnes, auersa sui parte, ponatur ad Septentrionem in pyxide lignea, super vultum stagnantis aquæ, quam citissimè pyxis se voluit, altero, atque opposito Lapidis angulo, ad aquilonem. Ergò si id fieret per tractum Boreæ, & non spontaneo impulsu motu ipsius Magnetis: mox pariter quoque pyxis, eodem tractu, ad ripam borealem concederet. Quod tamen non fit: sed manet pyxis cum suo lapide immota, postquam lapis se cum pyxide retorserit, requisito latere, & motu. Clarum est ergò, quòd Magnes sponte propria se voluat ad Boream. Vnde deinceps sequitur, sibi esse sensum, notionem & desiderium ad Boream, simulque conformis motus initium. Porro, si quis prope præfatam pyxidem, frustum politum chalybis teneat, ad latus australe, confestim tunc Magnes Boream negligit, ac se ad aciem vertit. Sicut nedum pyxis se vertat ad chalybem; sed tota etiam natet aquilonem versus. Vnde quoque obuium est, quòd Magnes fortiori appetitu feratur ad ferrum, quàm ad Aquilonem: sitque illi chalybs minoris alteritatis, quàm

Septentrio.

Septemtrio. Consequenter etiam patet, quod manifesta polleat obiectorum electione. Nonnulli circa hanc rem futile inquerunt dubium. An videlicet Magnes ferrum trahat, an verò ferrum trahat ipsum Magnetem? Nescientes utrimque esse reciprocum tractum. Qui non venit paulatim, ob multam familiaritatem, nec seruat respectus, nec obseruat fines lucri proprii, fruitionis, circumstantiarum, aut consequentiarum. Nec iste tractus est obnoxius adulatori, aut detrectatori: sed est donum in Archeis: vtriusque partis, à natura primordiallyter ingenitus & caractere proprietario signatus, ab eo, qui fecit omnia, ita quidem vt si chalybs sit magnete leuior, trahatur ad magnetem; secus verò, si lapis chalybe sit leuior. Eò quod tractus non fit in vno, & obedientia tractus in altero: sed vnicus tractus mutuus inclinatus, & non trahentis, cum renitentis velitatione. Adeoque ex hinc manifestatur, quod desiderium sit natura prius tractu, tractusque, vt aliquid posterius sequatur desiderium: tanquam effectus, suam causam. Si ergò testante Veritate, cuncta ex operibus sint dignoscenda, fructusque suam prodant arborem: profecto eiusmodi attractiuarum inclinationes subsistere nequeunt, absque testimonio alicuius vitæ conparticipatæ, sensationis, notionis & electionis. Porro nec minus mineralium vita, quam vita vegetabilium, suam per vitam distinguitur à vita animali, atque eorum generationes inuicem. Eò quod vegetabile, ac minerale, non operantur nisi vnum, aut pauca propria; eademque adhuc cum præcitate, alteritate, proprietate, inclinatione atque necessitate, quoties obiectum proprium illis est præsens: Sed animal operatur plura, eaque nec coactè, vt neque per accidens obiecti: verum prorsus per desiderium, complacentiam, appetitum, voluntatem, & electionem cuiuspiam deliberationis. Cum eorundem prima operatio sit vita; secunda autem appetitus, desiderium, vel amor proprius, vel oblectamentum. Tertio tandem selectio deliberatiua, & obiectorum distinctiua. Sic vidi taurum libidine saturatum, veterem vaccam spreuisse; oblata autem iuuençâ, lasciuisse mox statim denuò. Obscurè autem viuientium prima operatio, est potestas ad essentialitatem feminalem. Altera demum, exercitium potestatum, & proprietatum. Tertia tandem, maior minorque inclinatio, motus, & notio. Quæ quidem non fluunt ex electione deliberatiua: sed ex potestatiua alteritate, peregrinitate, similitudine, appropriatione, puritate, aut obiectorum ineptitudine. Quocirca fuit Veterum iusta opinio, omnia esse in omnibus, per modum recipientis. At potestates eiusmodi, propter obscuritatem sui indiscretam, & Indagatorum fœcordiam, vix creditæ fuerunt: à præcedentibus verò, atque modernis, non consideratæ. Ac propter accessus difficultates, mundum vaga desperatione, & nomine occultarum proprietatum circumuenere: ac seipfos sua occæcarunt ignauia. Scopus autem meus hoc loco fuit. Quod si herbis ac mineralibus, huiusmodi notiones, proprietatum occultarum authrices, atque moderatrices insint: easdem potiori longè ratione, & luculentiori modo inhabitare carni & sanguini. Nimirum excellenter, cum particulari & affectatâ notione, motu, inclinatione, appetitu,

amore, alteritate, hostilitate, & repugnantia: quam illa, quæ in nobis quinque sensuum ministerio occurrunt. Vsq̃ue adeò in carne & sanguine, esse quandam feminalem notionem, distinctionem, imaginationem, amoris, conuenientiarum, similitudinis: itemque timoris, terro- ris, tristitiarum, repugnantiarum, &c. cum intuitu lucri & damni, noxæ & complacentiarum, superioritatis inquam & inferioritatis, adeoque agentis ac patientis. Quippe quæ dependentia necessaria, necessitatis consequentis, fluunt, & comitantur prædictas sensationes. Quæ sanè in vitali sanguine, altiori gradu sunt caracterizata propter innatum Archeum harum passionum quarumcunque authorem, ac fabrum: quam alioquin in toto genere non animantato. Deus namque à cadauere, extinctis viribus defuncto, quemlibet dentem hominis viui, solo, tactu, marcescere, excidereque, quia sperni à vita cogit. Quod non item præstat dens à cadauere, violenta nece interemto, vel acuto mox mortuo extincto. Capillus pariter cadaueris, spontanea sensim morte sublato, solo tactu, caluos facit, Verrucæ atque stigmata, à perturbatione prægnantis, fœtui inducta, tactu cadaueris, sensim ac sponte mortui, donec pars stigmatis intimè refrixerit: sponte etiam stigma sensim euanes- cit. Attende mecum, in hæc non sint alterius sensationis testimonia, quam solius frigoris. An insuper in isthac sensatione, non sit connexa cognitio naturalis, atque mortis formido. Quæ adhuc cadaueri insunt quoque. Siquidem Tetanus ad cadaueris, siue rigiditas eius, non est frigoris aliqua congelatio: sed mera conuulsio musculorum, mortem horrentium, viuientiumque etiam post animæ discessum. Hinc nempe cadauera eorum, qui violenta morte oppetunt: quia non omnino extinctis viribus carnis intereunt, Tetanum præfatum non nisi dudum post sentiunt.

Animal phantasticum.

Herbas & mineralia, instinctu quodam naturæ, id est, suo modo imaginari, Sic demum cruorem ac Mumiam, conceptus quosdam natiuos, habere dixi, in ordine, ac similitudine ad hominem. Quæ vt ad scopum nostrum de Peste dirigantur. Memineris, quo pacto perturbationes prægnantis, apposita manu ad aliquod membrum, licet inaduerterenter, incogitanter, citraque voluntatis concursum, depingant in fœtu, membrum tacto correspondens, imagine obiecti illius perturbationis, Imagine inquam: non autem signatura otiosa. Sed, puta appetitum fuisse ad cerasum: depingitur vtrique in fœtu, & in membro consimili, quale prægnans sibi manu tetigit, cerasum, quod viridescit, flauescit atque rubescit quotannis, iisdem stationibus, quibus arboris cerasa, has colorum vicissitudines acquirunt. Et quod est longè mirabilius, contigit fœtum sic signatum, Maio, atque Iunio has signaturas colorum, in Belgio passum: qui postea, in Hispania Martio & Aprili, easdem exprimeret. Ac tandem rediens in patriam, rursus in Maio ac Iunio illas ostetaret. Sub valida quoque prægnantis impressione, nedum noua superinducitur cerasi generatio: sed etiam contingit, vetus esse immutari, cogitque loco credere generationem

tionem feminalem : imò & Dei imaginem, iam viuam, vel in procinctu sui aduentus, non venire, substituique creaturam alienigenam, atque monstrum. Quorum contingentis sunt plenæ, quotidiana, atque in vitæ experientia. Quæ potestas prægnanti data conceditur. Non tamen quod proin aliis mulieribus, imagines conceptuum non desorantur pariter ad vterum, cui non inhabitat embryo. Docui namque singulari tractatu, hominum perturbationes, in præcordiis, circa os stomachi, fabricari. Viris nempe inde ad cor ascendere, mulieribus autem proclius mitti ad vterum. Eò quòd mulier destinet naturaliter inspirationes vitales ad fœtum. Adeoque omnis præcordiorum commotio muliebri continuo respicit vterum, siue adsit fœtus, siue non. Quicumque ergò mulierem deliberato animo perturbat mœrore, &c. is illi morbum volens immittit. Et qui grauidam infestat; matri, ac proli officere, se sciat. Hinc puellæ circa maturitatis annos, si difficultatum conceptibus anxientur, solent vanis conceptuum Ideis vteri parietes continuo depingere, vt plurimum ac variorum symptomatum sibi in malaciam authrices fiant. Quoniam vterus non impunè fert, sibi tranquillitatem auferri, per peregrinas imagines. Vir autem suas in præcordiis format imagines, tam concupiscibilis facultatis, quàm irascibilis, vt non immeritò proinde amentia dicatur Hypochondriaca, idque non secus atque in muliere contingit: sed conceptuum ideas ad Cor & cerebrum transmittit liberius. Quidam enim expectans manè, præterem in suam supellectilem missum iri, tota nocte sedens mœstus, capite in palmam manus inclinato, manè latus capitis canum habuit, qua parte manum tetigerant tempora. Adeoque manus prægnantis suas exorbitationes ad vterum, & viri manus, suos pauores vsque in pellem capitis traducit. Saltem hinc patet, pilorum esse veram accretionem, nutritionem, atque non inanem colorum signaturam, non autem innasci per appositionem, à retro expellentem. Dein, quod perturbatio in viris, multum affinis sit muliebri, licet longè infirmior. Docui quoque aliàs, perturbationum energiam in Splene consistere. Quapropter vetustas Saturnum, principium atque parentem deastrorum, errantium quoque Astrorum summum, qui nempe deorsum in reliquos influeret: nequaquam reliqui sursum reflecterent, vtpote stellæ ad sublunarium commoditates conspirare creduntur, non autem sursum. Saturnum itaque originem vitæ, & conceptionum siue generationum initium dixere: imò & deuorantem recentis pueri nominarunt, designantes per hoc, quod imagines à facultate concupiscibili fabricatæ fecundent semina, & digestionum in nobis hospitia: prout quando exorbitant, nouellum sanguinem consumant, morbosque plurimos incutiant. Imaginatio igitur splenetica, primos habet impetus, qui conceduntur non esse in potestate nostra. Saturnus ideo, velut citra initium fictus: Iupiter verò præcipua eius proles, sede parentem deiiciens, rationis fulgorem significabat, primos imaginationis impetus subigentem. Imago verò, per imaginationem formata; mox in Splene vestitur spiritu vitali, eumque assumit, vnde Idea fortificatur ad operum executionem. Quotusquisque enim est,

Helmont pars II.

qui non sensit subinde circa stomachi orificium (qua parte Splen maximè sensituius, sicut & tactus in extremis digitorum) perturbationes, anxietates, & suspirandi occasiones? Nonne esuriēti mox tollitur appetitus, per triste nunciū? Notabile heic esto: quod licet prægnanti sit planè ignota essentialis dispositio rerum, sub perturbatione apprehensarum, easdem tamen penitus formet, atque figuret in fœtu, dum extra truncū arborum, in carne, cerasum fabricat in instanti, continens internū esse, & seminalis cerasi scientias. Non mirum est igitur, terrorem à Peste fabricare Ideā Pests; vnde Pests ipsa mox pullulat. Quamuis anima sensitua hominis, Pests essentialiam ignoret. Hic patet cāpus apricus, ad probandum cunctarum rerum notiones siue Ideas, in nobis formari vi animæ sensitua: jacere tamen obtenebratas in mente immortalis, quas Adamo præsentis fuisse credimus, dum brutis iusta inderet nomina. Etenim si muliebri conceptus, exundatione perturbationis cuiuspiā illectus, internas plantarum animaliumve dispositiones depingat (imò quandoque cum tota sui fœtus transmutatione) necesse est in ipsa mente, tanquam diuinæ imaginis sculpro essentiali, rerum sublunarium saltem notionem essentialē habitare, modò in naturæ impuritate & peccati originalis macula, depressam ac deformatā. Alioquin anima sensitua res alienas facere non potest, quas nescit & non habet: adeoque opus est, ad hoc confluere mentem immortalem, perturbationibus excitam. Obscura atque difficilis admodum via, per quam Adepti, nulla librorum ope pristinam scientiarum lucem aliquā venari contendunt. Ideoque & Laborem Sophiæ appellant. Eamque Paracelsus æstimat decuplo faciliorem, quàm didicisse Grammaticen. Opinatur tamen Picus, nisi operator vtatur medio, ipsum mox oppetiturum Binica, siue ariditate cerebri. Propter assiduitatem speculationum, spiritum vitæ attenuatū iri. Quicquid id sit, saltem causarum inscitia neglexit plurima, fueruntque ægorū opitulationes frustra expectatæ. Discussis autem hoc loco imagines, phantasia genitas, quo constat, qualiter omne corporeū proueniat ex inuisibili ac incorporeo initio (quod antiquitus à mundo intelligibili peti affirmabant) per imaginationem. Antecessoris parentis, imitando quadam similitudine, mundi creationem iussu incomprehensibilis Verbi (*fiat*) ex infinitudine Nihili, semel factam. Quæ deinceps suam nacta est continuationem ex dono Verbi *Producantur semina*. Per prædiductam imaginationem scilicet, tam plantarum, quàm animalium. Natura itaque, sequendo infusam sibi potestatem, profert omne semen, ex imagine cuiusdam conceptus. Est nimirum tam in animantibus, quàm in plantis, imò & in ipsis mineralibus, sua cuiusque imaginatio, suo modo improprio, productrix tamen, vtrobique fecunditatis feminum, tam ad esse naturale, quàm superincidentiū, & monstrorum. Imaginatio quippe condit rei conceptæ imaginem, quam suis à Deo datis donis conuertit in medio, quod semen dicitur. Sine qua videlicet imagine, omne semen est duntaxat inanis siliqua. Non secus atque flos peponis, à tergo non habens promissum peponem, inane est ostentum. Imago atque feminialis illa, prout in se gerit perfectam similitudinem suæ iconis concipiendæ: sic etiam

Ppp

liberam

liberam incorruptamque cognitionem rerum sibi agendarum iuber generationis decursum. Hoc tamen notabile in generationibus. Quod sicut prægna non operatur proposita mirabilia, nisi sit perturbatione percussa, silexque sit concussus ad chalybem: Ita femina animalium desinunt esse fecunda, nisi coniuncta sit libidinis perturbatio, faciens animam descendere in semen, vt illud illuminet. Quapropter herbæ mox à producto languent, completo suæ imaginationis siue proprietatis scopo. At mineralia, quia non sunt destinata, vt propaginem è suis corporibus excitent, eò quoque suos imaginationis fines longè obscuriores habent: Cum ergò omnis generatio imaginem præsupponat, iuxta quam suas dispositiones exsequatur. Hinc fieri nequit, quod imaginatio terroris generet Ideam amoris. Nec phantasia metus ab hoste, phantasma producat terroris à Peste. Non immeritò quoque loca, infecta Peste, vitanda sunt, ac' nedum propter vitiatum iam atque contaminatum aërem: verumetiam, vt obiecta vitentur, quæ ad terroris imaginationem conducunt. Iam eminus apparet litus, quorsum nauigamus, & quo pacto terror sit pater Pestis. Pueros etiam contingit celerrimè imaginari, atque commoueri: illorum tamen perturbationes non gerunt femina in suis imaginibus, aut Pestem ex terrore sibi faciunt. Perinde namque his est, atque nouello fidicini, qui primis lectionibus conceptam cogitationem, non nisi difficulter ad digitos transmittit. At postquam artis gnarus est, digitique iam assuefacti imaginibus tonorum, ac motuum: peragunt inhaerenter mandatum phantasiæ, totumque personant Hymnum, licet subinde attentò colloquio mentem à musica auerterit. Neque enim cessant digiti ad finem percepti Hymni pergere.

Imaginata Pestis requisita ad Ideam.

SÆpè fidem experientia fecit, quod quis Sterrore solo, Pestem absentem sibi atque suis parauerit. Quæ veritas ostendit, quòd imago phantasiæ, ad incorporeo suæ nuditatis esse, & cogitationis simplicitate, se paulatim vestiat, induatque vitæ spiritum, & in eo sui productum seminale relinquat: ens sanè, ad magna atque terribilia facinora promptissimum. Verum enim verò, vt ad executionem suæ destinationis nondum est satis, (Reperitur nempe, quòd imago, ad viscera perueniens, nihilominus non rarò flaccescat.) Idcirco declarauit in prægnante, manum insuper requiri, organum organorum, vt externum & signum determinati membri, in quòd est sculpenda imago. Etenim perpetuò anima mediis vititur, super quæ imago fertur adesse, & operari. Delineare autem idcirco debui, qualiter anima operati vas suorum conceptuum imagines, ad manum, nequaquam autem ad pedem dimittat exemplo fidicinis: & quo pacto, per consuetudinem, suas statim imagines transmittat, quæ alioqui præter consuetum, molestissimè eò pertingerent. Quocirca notandum, si prægnans fuerit dextera (sinistra tamen manu aliquod sui membrum sub perturbationis insultu attigerit, nihil inde super fœtum signatum iri. Vnde apparet, manum illam, quæ communis ordinaria, & quotidiana est cogitatum executrix: sit

etiam directrix imaginum ad loca, & operationes. Vir ideo non perinde fortiter per phantasia operatur, atque mulier: nec alia quæuis fœmina, perinde atque prægnans. Neque etiam terror quiuis Pestem generat. Terror enim à lupo, colubro, aut cane rabido, non parit in nobis imagines operatiuas lupi, aut colubri: Imò nec quidem vbi lupo visibiliter adsit: prout tamen Pestis, per terroris imaginem, nobis nascitur. Dubium itaque subest, An territa imaginatio animæ, à Peste, eiusque imago, sit sufficiens, & adæquata causa Pestis? Serio imprimis attendendum, Imaginationem per se sufficientem ad operandum, nisi alia insuper concurrant. Imprimis namque in ordinariis prorsus omnibus, solitisque operibus, ex deliberatione electiue animæ prouenientibus, oportet adsit voluntas. Pistor namque frustra multa, de panificio, intentèque imaginabitur, nisi manum voluntas, non quidem ad aliquod membrum, sed ad pastam, admouerit. Ego pariter de Peste scribens absque terrore, in pleno velle, & conceptu cogitantis animæ, multa de Peste meditator: non tamen ob id hanc mihi contraho. Nemo etiam, nisi forte desperans fatuus Pestis generationem in consensu voluntatis intendit. Requiritur ergò voluntas explicata, in quotidiano ac naturali cursu actionum operatiuarum, in quibus velle, deducit conceptas in deliberatione imagines, ad executionem operis. At nullatenus exigitur consensus voluntatis, ad generationem entis, aut transmutationem vnus in aliud. Siquidem omnis transmutatio, licet monstruosa, nititur tamen priuilegiis veræ generationis: cum sit reideatio in Archeo, ex victoria nouæ imaginis, traducta super feminalem, quæ prius erat concepta in Archeo. Ergò consideratio transmutationis, non expendit consensum voluntatis. Denique, neque nuda imaginatio, siue imaginis productio, neque manuum attactus, sufficiunt simul ad transmutandum: Sed (attende benè) omne opus imaginationis quod in nobis nouam generationem, vel transmutationem vnus in aliud, producit necessarìò, requirit alicuius fidei concursum, colligatæ in eodem subiecti puncto, ipsius phantasiæ. Nimirum, terror ab animali nocuo, non producit in nobis istud nocuum animal, neque eius saltem venenum. Perinde etiam, vt mea attenta imaginatio, meditans mirabile virus Pestis, non generat proinde Pestem in me. Ratio itaque quare terror à Peste magis Pestem faciat, quàm terror ab animalibus, venenum eorundem; in eo consistit: Quod venenum Pestis non solum fiat ex apprehensione, & conceptu terribilium effectuum: Sed quod simul concurrat cum illis inseparabilis quædam fides, per quam territus, ac pavidus quisque, timendo imaginatur, creditque tenuiter, se iam aliquid pestiferi veneni contraxisse. Vnde (nec enim prius) Pestis imago, per huiusmodi terrorem concepra, operans, & fecunda euasit. Nam is terror, cum suspitione credula, applicat animam sic territam Archeo, vt hunc vestiat imagine terroris concepti. Cuius quoque fidei defectu, etsi animalia ingentem terrorem conciperent, non tamen Pestem humanam arripiunt vnquam: licet suam tãbem, vt naturale venenum, quandoque hauriant, vnde etiam oppetunt. Est namque venenum fermentale, quod

quod vtut celerrimè cum iis transigat: vera tamen Pestis non est. Quisquis autem rabientem, in se insipientem viderit, & quantumcunque exinde tertius fuerit, imò febrim concipiat, atque moriatur: nemo tamen vnquam vel tenuiter credit, se rabidi venenum hausisse, absque morfu. Quare etiam totus suus terror est saltem, ne mordeatur. Quod potius includit præcautionem futuri, quam fidem nati veneni. Terror igitur, occasio Pestis, vehit in imaginatione aliqualem finem, timoremque, se aliquid contagionis, actu hausisse, sub incertitudine, & agonia eiusmodi. Eò quòd venenum Pestis sit inuisibile, non autem rabidi morfus. Quæ particula fidei, cum perturbatione terroris, perficit actualem imaginem in Archeo, generandæ Pestis semen. Eò quòd imaginatum, apprehensum cum perturbatione, & creditum, sicut actualiter in eodem puncto phantasiæ, proferentis imaginem, in Archeum, tanquam ens seminale. Alioquin etiam, nec quæuis fides, ad hoc est sufficiens. Quippe nemo est, qui non credat firmiter, quod Pestis possit occidere, contaminare, aduenire, &c. Sed talis ista fides est languida, & velut mortua, nec proinde operatiua. id est, non nocua. Nisi essentialiter in eodem identitatis puncto, sit connexa terrori, apprehenso cum perturbatione, ex haustu actualis veneni. Castra enim & arces, persæpè pauorem panicum, ac lethalem terrorem arripiunt, simulatque cum timore perturbationum credunt, hostem proditoriè, aut clanculum irrepisse, aut insperatam opem nactum, &c. Quæ cuncta sub nocte opaca magis inualescunt, qua sunt inuisibilia, magisque horrenda, ac timenda vniuersa. Somniales pollutiones, quanquam fortem habeant imaginationem, absque motu aut fornicationis illecebri, sufficientem expulsionem, fidei tamen illius defectu, semen tantum sterile eiciunt. Etenim etsi imaginatio operetur dormiendo: non tamen fides operatur somniando. Quippe quæ non imaginationis, at solius est filia voluntatis. Somnus nimirum ad hoc conducit peculiariter, vt transmutatus liquor alimentarius, per appositionem, mentisque informationem, omnino assimiletur. Quapropter adolescentibus annis, plùs, atque profundius dormitur, quàm subsequenter. Cumque materiæ vitales suas habeant imaginationes naturales etiam quæ non sunt imaginationes intellectuales: certè, ipsa sanguinis imaginatio, subter somnum, potentissimè operabitur. Sed fides, cum sit vis separata, animæ ac voluntati alligata, necessariò quoque sub somno sopitur. Est itaque imaginationis Splenicæ actus propemodum inconcussus, ac indefinens. Sed anima, semel credens vnum aliquid, cessat dein, quiescitque à credendi aut confitendi consideratione, donec de nouo obiectum illi refricetur. Nec hoc loco loquor de fide Christiana, dono Dei supernaturali; sed intueor confidentiam: tam scilicet delusionem credendo, quàm rei veræ putationem. Catula enim quædam iuuenis, & nondum lasciuia, catellum quindecim dierum nacta, labit, amat, & mammis apponit: dein infatuata, credidit suum esse fœtum, adhuc erat incorrupta, mox illi mammæ tuberant, & vidi copiosum lac profudisse. Item mediâ Hyeme si opres pullos, tepefac oua linteo calête, atque interim

Helmont pars II.

depluma pectus caponis, pone super oua, vt foueat, eumque ibidem conclude. Qui teporem ouorum, ac frigus pectoris insuetum, iurgendo sentiens, incipit oua fouere. Incubando autem concipit falsam fidem, creditque se ouorum matrem, pullos omnes, ad extremum vsque educit, & crocitu fouentis gallinæ simili, conuocat, pugnaque pro pullis, gallum fugat: atque tandem ingens tristatur, à pullis derelictus. Si itaque falsa fides, operetur tanta, quid non fundatior quælibet, terrori Pestis coniuncta? Inest ergo imaginatio quædam, sanguini natiua, partit us animalis, imò & mortuosis excrementis: adeò vt cruori extrauenato, iam remedia magnetica, applicari cum fructu inceperint. Consideremus etiam, sextæ digestionis mucilaginem excrementitiam, adhærere intra harundines (unico sic etymo voco venas, arterias, intestina, & canales quoslibet) sua primū qualitate in fontem: sed hospitii jus, quatenus indirectè ad vena est, violantem. Ideoque per se, parti insidiantem. Mox dein, ab Archeo, parti insito, concipitur desiderium expellendi illam: cuius conceptus Idea, in exosam mucilaginem imprimitur. Quæ cum sit seminalis, formam, aliqualem vitam, itemque & hinc potestatem agendi, nanciscitur: ac suam deinceps materiam moderatur, ad propositos sibi, nactosque fines. Membrum autem, non valens subigere hospitem, sibi inuito connexum, maiori flagrat nisu, appetituque expellendi. Nec enim appetitus iste est amplius ens rationis, siue imagiatu: sed surrexit in ens quoddam seminale, propter conceptam ab Archeo Ideam, sibi impressam, induitque materiam exoticam, in omnem morbosi seminis perfectionem. Non secus atque in salua ratiōis, ipsamet rabies seminalis, & in picto fœtus ceraio, conceptus grauidæ. Sic namque potestate agendi, ditata materies, iuxta imaginem indutæ passionis, incipit agere in membrum hospitale. Inest nimirum illi iam ipse morbus, semine efficiente potitus. Qui tandem pertinacius connexus, sæpè victor, vitalem facultatem illius membri in sui clientelam subigit. Mortificat nimirum, suoque contagio conformem partem, cui insidet, reddit. Pars autem, cum sit lassationi, huiusque termino, obnoxia, è contra verò character, siue idea seminalis iam concepta, sit indefessa: necesse est, velut conuocatis viribus Archei, morbus ille proscribatur per crisin, vel robore morbi sponte exantlato, orbetur vi agendi, fiantque oppilationes, ac scirri: vel loco, victa pellatur, fiatque abscessus: vel medicaminis præpollenti vi pellatur. Aliàs namque, natura habenas deserens, manus vinctas morbo tradit. Quatenus scilicet pars continēs, à contento hoste victa, reliquum totum, sibi simile reddit, non secus atque Gangræna minutula, totum mox mortificat, ita & materia morbosa adhærens, partem cui adhæret infectans, totum integrale mox inficit. Neque enim semper sunt ab initio, innata semina morbosa materiæ: quid ideo tantisper tantum est materia occasionalis. Quinimò vt plurimum fatua, atque innocua qualitatū profapia, innocentiam simulant spinæ morbosa. Noxia nunquam alioquin intro admitterentur, quia intimè ante admissionem, atque sagaciter, ab Archeo examinari solent. Sternuntur enim in limine mox, quæ-

PPP 2 cumque

cumque incapacia sunt necessitudinis vitæ. Si ergò sordes, proditorio errore intrò admiffæ, aut per degenerationem subortæ, intus hostilitates recipiant, easque in nos exercent, dum agendi robore fuerint qualificatæ ab Idea recepta: nec mirum etiam, si fermentum veneni subinde acquirant, eoque nacto, paratas in nos manus iniiciant. Hæc est succincta tartari cruoris imaginumque morbosarum origo, progressus, atque historia. Porro imagines venenorum sic se habent: In bestiis enim venenosis, venenum fieri ex imagine iræ, proverbio docemur. *Moria la bestia, morto il veleno.* Quod locum dumtaxat habet in venenis propriis speciei. Non autem in cadaueribus, Peste extintorum, quod tam in hominibus, quam falcone, quotidie experimur, Eò quòd Pests non ex ira, pro more serpentum venenosorū, nascatur. Canis namque ludens si dente icerit, vulnus citò medicabile infligit: sin autem irato dente, non tamen quam præcedens, profundius mormoderit, jam vulnus fecit, veneni iræ particeps. Sin autem rabidus fuerit, jam non transiens venenum iræ: sed rabiei suæ mortiferæ, atque amentis compar, communicat. Accensâ nimirum voluntate nocendi, per iram, imaginem, bellua, aliàs insons, parit venenosam, ac per dentem eandem transmittit. Multo id luculentius in feris fontibus, Sunt ideo venefici curiosi, vt prius iratis atque irritatis serpentibus lethale virus mutuent. Catula luxurians, si manum pueri lambat, eandem vesicat. Equa vero luxurians, sua pedum cornua, siue vngulas, veneno imbuat: sic nimirum, vt dysentericis sint præsentis toxico: quæ aliàs, à non luxuriantes, si butyro frizentur pulueratæ, confestim dysenteriam sanât. Plantarum autem veneno propria, non ab ira aut pauore sunt: sed fermentum corruptiuum seminali imaginationi nativæ, illarum continuandis seminibus à mundi creatore est inditum. Nec est enim plantis hostilitas aut voluntas nocendi nobis. Adeoque nec venenum, ex siccatis plantis commoritur. Est namque fermentum venenatum, plantis ab exordio mundi confirmatum, ad seminaliter propagandum, ob fines creatori terglorioso soli cognitos. Rabidus autem, venenum per saliuam, adeoque per dentem communicat. Deus namque rabido inseruit, quantum manus prægnanti. Denique Imaginatio plantarum, quamquam seminum suorum sit formatrix, ipsa tamen non libera, aut arbitraria: sed potius dos seminalis, propagatiua sui similis, idque cum totali sui proprietate, in quo quiescit, non alienis perturbationibus, aut illecebris, alterabilis. Qua propter in se, monstrum non concipit, nec facit vnquam sponte, nisi ab externo laceffita: est itaque venenorum ista differentia, origo, progressus, productum, & nocendi modus. Hæcque eo deduxi, vt intelligatur scilicet, si ex ira virulentarum ferarum fiat extemplo lethale venenum, posse etiam per terrorem, in hominis Archeo, fieri terrificum Pests venenum. Si namque tristitia, amentiam, hydrophem aut caducum: Ira verò colicam, Apoplexiam, spasmm: densaque anxietas, vel intensa minus cogitatio, furiosum vel Lunaticum gignant: nec à ratione deuium est, Imaginem Pests intus fabricari, ex perturbatione illius Vulcani, in quo fabricantur primi impetus. Cu-

jus paroxysmi, sæpe vt amentium tolluntur per Splenetica auxilia, Animal exiguum, araneæ simile, Solilifuga Solino dicitur, quod diem fugiat, Sardineæ fodinis argentariis frequens, reptatque occultim, & per imprudentiam superfedentibus, Pestem facit. Quod venenum quidem non est vera Pests: sed pustula venenosa. Nam subiungit, Calidos fontes vicinos esse, qui abolent statim, insertum à Solifuga venenum. Sic nimirum lethales fodinarum halitus, non rarò pestilentes vocantur, quia fossores diutius morantes enecant. Experimentū autem huius periculi facere solent: si dimissa ardens lucerna in cuniculos, confestim extinguatur. Nec mirū, si præter virus, etiam præfo-cent lumen vitale, si lumen igneum candelæ extinguant.

Fermentum Pestilens.

CONSIDERA, qualiter canis mæstus ambulat, cibum recusat, potumque horret, quantos odii stimulos, ac inuidiæ cõceptus alat, ante rabie. Denique, vt cõceptus sui, vis plenaria, non in saliuam tantum: sed in dẽtem (qui trans vestes nitide abstergitur,) translata, solo velut odore, simplici que vnus odoratus suffitu, sufficit, ad excitandam seram seriamque rabiem, in demorso. Minimus nempe tactus dentis, qua parte cutis patet, sola que epidermide hiat vtut saliente foras cruore abluatur: nihilominus imaginem suæ rabiei sic traducit, vt sicut manus prægnantis depingit membrum fœtus: ita canis, per dentis, sui attractum, infra quadragesimum diem, rabiem adferet. Neque enim dumtaxat ad mortem, vtut vulnus in sola sit epidermide, pergat; sed pereunt ante mortem, principes mentis facultates, sequunturque vt pedissequæ mox, quo per venenum phãsticum abducuntur. Etenim is dentis odor quasi merum nihil est, ens incorporeum, non secus atque fracidi doli odor, vel odor pedis, nouo calceo induti, facientis vestigium. Canis etenim, dudum ab impresso vestigio, herum nouit, distinguitque isthac transisse. Sic odor vestis, aut chartæ, pestilenti tabe infamis, subtilissimo, imperceptibili, ac tenuissimo veneno, nos contaminat. Ac nedum lethali nos veneno imbuat, necatque: sed & mentem loco deiicit, non secus atque rabidi dentis attractus subter pellem, rationem à sua maiestate deturbat, cogitque sequi ad determinatam suæ rabiei normam. Pauet namque demorsus, stata periodo, ad liquidorum cunctorum conspectum, concipit caninam inuidiam, optatque viuentes omnes posse perdere, suamque multiplicare rabiem. Narrant Scriptores, in vulnere succrescere vermes capite canino. Saltem non diffiteor suspicandum, huic veneno inesse fermentum, spiritus imaginationum respiciens, & affectans: In quos, minima odoris comparticipatio, suæ imaginis introducit Ideam: cui phantasia nostra cedere cogatur, imo potius, plenè transmutetur in horridum istud phantasma. Mirum nempe, quod canis venaticus, omnium suæ matris primogenitus, solus canem rabidum adoritur, & superat. Dos ipsi est inuictæ imaginationis, etiam, vt si à rabido demorsus, minimè tamen rabiosus fiat. Vbi interim reliqui omnes, per morsum, rabiem contrahunt, à rabido fugiunt,

giunt, nec se contra hunc defendere audent. Est ergo istud venenum, rabiei diuersorium, imaginationis etiam peregrinus hospes, qui ab imaginatione pugnantis animæ superatur. Ergo hinc nouimus, omnia venena in se esse fermentalia. Quædam namque solam destruunt materiam, & spiritum simul imaginatiuum, vnde morbi, amentiam connexam habentes. Alia verò duntaxat spiritum affectant. Qualia sunt, quæ rabiem, quæque amentias & catalepses adferunt. Quæ videlicet corpus non liquefaciunt, aut notabiliter alterant: solum autem spiritum sensitiuum trahunt in perniciem. Tarantula nimirum vix vnquam quiescit, ideoque & hominem, quem pupugit, irrequieta turbat molestia. Aspice enim, quam horrida effigie suas in hominem, cuius pellem vel tenui punctura pertruderit, imaginationes traducat. Vile enim, paruum, atque imbelle reptile, imperceptibili quantitate sui veneni, totum inficit, eiusque mentales potestates, subter sui clientelam statim rapit. Bellè sanè etiam quadrat odor vestigij, simulatus Pesti. Nam licet edito, ventisque perflatu loco, ædes aperiantur, & ventis cedat infecta domus aura: non tamen proinde cessat perendie Pestis, quin sufficiat tollendo totam plebem. Nec enim cessat odor vestigij (quantitatis nihili) in via, ventis expositi, nisi pluuia lauetur, aut terra tegatur: suum semper cani refert herum. Memini etiam, quod in Peste Ostendana, ipsamet fracedo pestilens, solet crematas soleas parum olere, solebamque Peste infectum odore illo proderi. Porro ante præuaricationem, omne animans subiectum erat homini, tanquam hero: suaque vita media liquecebat, & peribat edendo, ante conspectum nostri Archei. Ast iam, vel catulus, prædominatur vitæ nostræ, & liberat animæ mortaliū potestates, subter suas infirmitates rabiei, cogit. Calamitosum nempe est, imaginem Dei deinceps subiacere morsui infecturam, variasque sectari debuisse imagines fermenti veneni cuiuslibet. Deuiumque est, seruilia bruta, morsum suum, imagine iræ, veneno amenti, atque mortifero imbuiere. Ah quàm penitissimè, atque fortiter iræ imago sigillatur? Quamque rapida celeritate ad saliuam transmigrat? quantis infirmitatibus opportuna est mulier, ex occulto odore vteri? quàm infandis enim intellectus exorbitationibus vexatur? Siquidem non rarò fracidus odor, communicatus è plantis pedum, superbam nostri staturam deiicit, priuatq; sensu, memoriâ & intellectu epilepticos? Quæ promtè enim contagium excrementi hypochondriaci, subter septum, mētem alienat, seducitq; mœstitia, horrore, furore, amentia, febrilibus deliriis, & lethargi differentiis, dum iuxta imaginem, fermento suo innatam, nos alienat? Quam enim terribile terroris venenum momento vnico, fulminis ictu imprimitur? in belluam quam icerit, adeò vt eius carniū esu, Pestis deglutiatur? quod saltem in signum est, fulmen à portentoso initio, terroris pleno sagittari, vnde nimirum Archeus, in momento extinctus, sui terroris imaginem detegendo, perit ferè in momento. Sæpè namque somnus, imò sopor, est in homine: vbi in Archeo est ingens Pestis perturbatio. Sæpè è conuerso. Archeus perturbationibus expeditus, atque securus viuit: vbi homo misere suis consuetatur perturbationi-

Helmont pars II.

bus. In bellis & è bellis, nunc atrociores Pestes, quàm præeritis seculis: quia bella pauore sauiora, plusque pauoris, & irarum minus habent, cum homo, in hominem impetu iræ motus, vindictæ studeret. Nec mirum idcirco, quod propria vrinæ potatio, Pestem cohiberet ante accessum: non quatenus alexiterium: sed quia persuasionem ac spem continebat, antequam sumeretur. Memini namque, quod anno 1635. dum Gallus Louanium vicinum obsedisset, plurima inde Pestis, Bruxellenses pavidos, terrefactasque timore mulierculas, mox dein iuuaderet, quæque in pagos omnes dispersa, magnam vbique stragem attulerit. Etenim & conparticipatio vitæ in eduliis facit, vt citò vitalia fiant, arripiantque mox Archeum nostrum, indignatione, furore, & multiplici alioqui symptomatū clade subnoxium: Ita in *Magno Oportet*, clauditur nobis multæ luis necessitas, ac transplantatio. Atqui, si esculentorum proprietates vitæ mediæ, aliquatenus in sanguine remanere debeant, eatenus & carnes comedentium, varient saporem, pro ciborum diuersitate: necesse est, nos affici ab iis, quæ in nobis suum relinquunt symbolum. Equidem sapes, proprietatum testes, tam cum externis, quàm internis putrilaginum consortiis, fœdus pepigere, quæ ideo in nobis facilè fiunt participes iniuriarum. Vita nempe media ciborum, nostris remanet in carnibus: pisciuoræ hinc nationes, ac Carthusiani, cimicibus non infestantur. Carnes enim minus benè seruatae, ex symbolo vitæ mediæ nobis residuo, quamlibet facilè putredinem nobis inurunt. Vnde etiam formales corruptelæ in nobis inauspicato surgunt initio. Dein carnes & pisces, etsi macentur tempestiuè; sæpè tamen in se, morborum tabes continebant, quibus vbi vescimur (præsertim si nidorem antea contraxerint) in sui symboli consortia, facilè concedimus, nobisq; statim nidores, ac fracedines mumiæ suscitant. Neque enim boues aut oues vescuntur hominibus, nec nostram in se contrahunt Pestem: sed nos bobus vescimur, brutalemque haurimus Pestem iuxta & nostram. In solo quia homine, multorum brutorum Pestes, suam ludunt scenam. Quare, nec infontes sunt cibi, non ritè confecti, dum fermentum stomachi illudūt, quia in alienas suæ luis colonias, & putredines varias, facilè transeunt. Hæc equidem nouarum calamitatum alteritati in Peste, quandoq; futura causa erit nouissimorum temporum indicatrix. Saltem nunquam in Scholis perpensa sunt, venenorum ac toxicorum fermenta. Sed horum actio æquiouoca ideo rata fuit, cœlestique impressioni comparata. Semper enim, vbi in inscitiam labuntur, surdorum cœlorum opem, procul nimis distitam, implorant, ac Saturnum infontem culpant. Vocant enim actionem æquiouocam, dum agens non generat sibi simile. Vt in cœlestibus, ac meteoris occurrat. At quàm improprie ad cœlos & actiones illorum æquiouocas sit recursus, propter venena, facilè quisque nouerit, qui venena, vt agentia merè naturalia, atque domestica, nedum alteratiua per modum meteororum: sed transmurtantia, & spermatica, aspexerit. Quid namque seminali generationi similius esse potest, quàm si exile scorpionis virus, totum hominem interficiat, sui que feminis proprietatem in totum propaget? Nec enim fermenta vsquam æquiouocè:

Ppp 3 sed

sed planè vniuocè operantur. Quoniam si Pestis æquiuoca actione pullularet, non esset utique contagiosa, cum sibi simile non produceret. Patet itaque neglecta fermentorum indagatione (quorum tamen commercio, omnis rerum generandarum transmutatio conscribitur) venena hæctenus, tam in fieri, quàm in esse, ac operari, sint ignota. Maximè, quod proprietas veneni sit, per destructionem Archei humani, suam imprimere imaginem feminalem, in vicem alterius. Quapropter etiam huius veneni organum, est ipsum fermentum. Hoc autem de venenis intellige, quæ imagine seminali tenus, transmutationem moliuntur: non autem de meris corrosiuis: utpote quæ non fermentaliter Archeum, eiusve imaginem corrumpunt: sed eundem in furorem concitant, qui propriam dein materiam, siue hospitium, deuastat: sub cuius alterationem, aut interitum, ipse Archeus quoq; loco cedit, cum integritate atq; retentione suæ imaginis. Magnitudo enim, vehementia, robur, & celeritas venenorum, deceperunt Scholas, quæ neglecta fermentorum consideratione, præterierunt vnicum generationum organum dispositiuum præcedens introductionem imaginis feminalis. Sunt namque Schole solitæ opera naturæ metiri ad pedem artificialium: & sicubi quid esset, quod minus huic pedi quadrare sibi videretur, verbosâ excusatione, ad cælos & occultas causas recursum est, ut ignauiam, atque inscitias, indagandi impossibilitate velent.

Forma atque materia Pestis.

Cum morbus in nobis proprium perficere nomen & omen debeat, tanquam in suo domicilio, sui que propriæ essentialis causæ maneat in producto, necesse est, quamdiu aliquid in aëre, aqua aut terra vagatur: id neque morbus in se esse possit, neque eius causa continens. Imo quicquid antecedentium causarum nomine est insignitum, non sit nisi occasionalis, nil per se: sed per accidens, causans, nil citra appropriationem in nobis acceptam. Quapropter nec indicant, nec optant, nec præscribunt curationem: sed duntaxat cautionem siue fugam. Occasiones ergò Pestis, considerandæ sunt, quatenus quandoque hospitatæ morborum occasiones, in causarum seriem migrant. Iam itaque satis imprimis docui, Pestem non dimitti cœlitus. Cumque omnis effectus sit fructus, siue productum suæ, & non alienæ arboris. Idcirco quæuis causa suum, & non alienum producit effectum. Pestis igitur specificam, propriam, & non alienam causam habet. Nec enim Pestes distinguere per accidentia sua, comitantia vel signata licet: quippe quæ fluunt immediatè à diuersitate subiectorum, eò quod per modum ac naturam recipientis, diuersimodè variant iuxta consuetum entium naturæ. Quapropter etiam Pestis, constans materia, forma essentia, semine & proprietatibus, suam quoque postulat habere, vnicamque speciem, cum ipsamet rerum aut defectuum essentia sit indiuiduis proxima. Sin autem vel externæ adueniat, vel intus generetur, perinde id est, cum inde Pestis iam constituta. Denique si citius tardiusve contamineat, violentior sit, celeriorque eius exitus, varias partes

inuadat, aut diuersimodè corpus exagitet: ita tamen proinde non mutat veneni speciem. Sunt namque duntaxat signa quantitatis, commistionis fermenti, appropriationis, & incidentiæ, in partes recipientes. Alioqui venenum pestis, internum atque formale, quodque eius quidditatem continet, est singulare semper, in omni indiuiduo. Quoniam esse rerum consistit in simplicitate suæ speciei. Sicut utrobique eadem est ignis essentia, siue magnus, siue parvus, siue quietus, siue solibus agitur, siue denique flamma rubra, flaua, viridis, vel cœrulea fuerit. Pestilens itaque remota, cruda, ac prima materia occasionalis, est aër fracidus, vel potius fracidum Gas, Quæ aëris fracedo, iuxta ignis experientiam, quam adepti promittunt, nondum habet 8200. partem corporis sui feminalis. Quod facilius comprehendes, si consideres, vas vini fracidum, doliumque iam exhaustum, absque vilo sui pondere, corrumpere noua & vetera vina, cado infusa. Tractaui nempe in meis Physicis, de fermenti fracidi natura, & quo pacto ex incorporeo fracidoque semine oriantur vegetabilia, ut hinc Pestis profapia distinctius elucescat. Terram insuper, ostendi fracedinis matrem: ut sciamus Pestes populares, à terræ motu castrorum, obsidionumque sequelis, primam sui occasionalem haurire materiam. Ideo enim quantum terra distat à cœlo, tantundem quoque materia occasionalis Pestis à cœlo est remota. Voco autem materiam hanc primam, incorporale illud venenum fracidum, existens in Gas terræ. Adeoque hoc venenum, tanquam materiam remotam subterno, sub alio viciniore veneno, disponente materiam Archei; quo facilius assentiatur, terroremque pestilentem in se concipiat: Ut tandem ad horum dispositiones præuias superueniat quidditas pestilens formalis. Caterum, si de aëris infectionibus debite philosophandum, necesse esset, ipsius anatomiam repetere ex prælibata, in Physicis meis, elementorum doctrina. Aër itaque in se, est alterum ex elementis primigeniis, transparens, tenque leuitatis, quam ponderis expers, impermutabile, ac perpetuum, frigore præditum naturali, nisi situum & commistorum robore impediatur: Poris autem vbiuis refertum, & hæctenus extensionem, aut compressionem sui tolerans. Cuius porositates, vel replentur vaporibus, alienisque exhalatibus; vel planè hiant expertes corporis, in sui integritate manentes (quod alibi tractatu de vacuo necessario demonsttraui.) Enimverò namque si aër esset absque poris, omni corpore vacuis, non possent halitas eleuari, absque corporum penetratione. Cum autem detur aëris dilatatio, & compressio manifestissima (ut aliàs plene demonsttraui) necessario datur & vacuitas. Sunt namque eiusmodi porositates in aëre, velut vteri, quibus aporrhœæ fructuum aquæ, resoluuntur denuo in vltimam aquæ simplicitatem, vnde prouenerunt, spolianturque quilibet uscuque priorum femininum signaturis. Sunt autem eiusmodi effluvia in aëre, peregrina, per accidens & varia, iuxta indolem concreti, vnde exhalant. Imprimis sunt vapores aquæ puræ atque simplicis: dein aquæ maris salis, qui pluuiam condiunt vaporosa sui myria, & eatenus à corruptione præseruant. Secus namque, ob admistas vario-

rum

rum exhalatum societates, de necessitate, putrerent, ac sceterent aquæ pluuiæ, non minus quam nubes in montibus, & nebula pleraque. Partim ergo æris hausta venena vaporetenus hospitantur in porositatibus suis: partimque ipsum æris corpus conspurcant, sine corporea commistione, prout vitrum odores concipit. Quæ contaminatio iure, impressionis nomen habuit. Est mihi domus campestris, à meridie filua querna diues: ab aquilone verò amœna respicit prata: ad vtramque porrò Solis domum, colles Cerere fecundos habet. Lintea autem ibidem lota, & fonte diluta, tabulato suspensa, nitidissimè albicant flante Borea, & hinc inde etiam, ab ortu in occasum, vel vicissim, ab occasu in ortum. Solo autem spirante Austro, fenestrisque australibus apertis, insigniter flauent luteo colore, è numerosa nimirum quercu, eructatur halitus tingens in aërem, huncque à nobis inspirari, vt & à linteis combibi, didici. Itemque sic à quercetis, post solstitium æstiuum, exhalat occulta aporrhœa, quæ insuetum vultum, atque collum, pruriginosa pustula frequenti inficit, ac dein in cruribus, & alibi euadunt conspicua. Sunt namque in aëre quædam, quæ odore narium percipiuntur: alia denique, quæ per canes solos distinguuntur. Suntque & alia demum, omnis odoris expertia, licet non contagij. Siquidem veneni, vt talis, fermentum ab odore liberum esse potest. Proinde quæuis patria suos parit patiturque languores. Solo quippe natura subest, nec omnis fert omnia tellus. Quia varij patiuntur in aëre vapores, pro soli varietate. Quæ penitus mecum trutinans, sæpè sum miratus, vitam nostram ad tot extendi annos: cum tam multiplici stipemur vndeque hostium potentissimorum satellite, tam profundè eundem admittamus, imò & inuiti attrahere cogamur. Nec solo id anhelitu; sed etiam per magnetem, qui per habitum carnis, suo more ludit. Etenim qui carbonum fumis, aliarumque rerum odoribus sæpè dudumque impavidus interfui, realiter sensi odores istos, atque fumos, nedum in thoracem: sed & inde ad stomachum recta deferri, ructusque nostros ideo exprimere conceptas fuligines. Sic namque anhelitus, è pulmone efflatus, refert odores, alij, & ceparum comestorum, etiam per nares collectus. Pestis autem vtrinque hauritur. Quæ autem non deforis: sed intus spontanea Pestis gignitur, in axillis, & in guine, rara autem pone aures se prodit, Nam hæc plerumque ab haustis odoribus Pestis profilit. Quæ verò maculis est infamis: ex interno veneno, intus prius suffocato, atque ideo pessimo, prouenit. Quatenus fracedine suffocationis plerumque intenditur. Quæ verò Anthraces exhibet, vel est fortis expulsio, quæ longius, quam in proximum emunctorium iacit, vel ab attactu rei contagiosa, vel inspirato Pestis veneno, oritur. Etenim quæ ex contactu inuasit, etsi lentior sit, quam quæ aliàs vniuersali de causa insultat: plerumque tamen est lethalior. Quia insitus membro archeus hac Peste interimitur. Et inde pars grangrenam pestilentem trahit. Cui subueniendæ totalis Archeus est negligentior, de tutandis visceribus cogitans, se intro fugiens, recipit; pergique serpere mortalis ista grangrena. Remedia quoque plerumque sunt ignauia, eorumque intentio, vt exteriora escharentur, & post-

modum eschara citò excidat. Huc nempe cuncta emplastra, & attrahentia adhibentur: rara autem sunt adhibita, vt virus ipsum superent. Pestis autem ab extra, vt potissimum in artubus est formidanda: ita vice versa, quæ ab initio foras sagittatur, minus inuoluit discriminis. Enim verò intus nata, primariò Archeum terret, ideoque subitanea ac præpotens. Venenum autem Pestis, tactu arreptum, postquam Archeo se insinuauit, (Quippe qui primum viuens, vltimum moriens, rerumque; intus agendarum solus rector est) rato demum venenorum more reliquum facilè inficit. Siquidem ipse Archeus semel infectus, statim terroris pestiferam imaginem concipit, eamque desertis habenis regendi corporis, communicat confociis. Denique etsi sudor in omni Peste cõducatur: minus tamen in illa, quæ externo contactu subintrauit, nullatenus saltè propterea negligendus. Porrò in Peste, singularis indiuidui (à quo subinde tota communitas affligitur) illic fracedo plerumque intus incipit: qua semel arrepta, facilius inde terroris Archealis virulenta imago creditur. Celerior est Pestis, quæ ab externa odoris fracedine intro trahitur, quia duos gradus (fracedinem nempe atque mumiale syngamicumque fermentum) statim associat: non est autem necessum, vt fracedo sit naribus sensibilis cum auersione. Nam si canes, qui olfactu nos excellunt, fracedinem, aut vestigium heri, in via sentiant: ipse Archeus noster, longè facilius adhuc, quæ intus sunt, olefacit, nequitque ideo fracidus odor nocere, nisi fermentum mumiale intus inuenierit, cui se copulet. Iã tunc quidè est præstò exotica materia, nihilominus adhuc contagij indiga. Idcirco oportet, vt materia sit plenis numeris instructa, ac formalitate agendi. Nam sunt hæc duo adhuc tanquam causæ occasionales atque irritatiuæ. Denique de Tartaro cruoris sat dictum est, quod sit productum Pestis quodque hanc præstolatur, vel sit extemplò, aduentu Pestis. Terminus itaque fiendæ Pestis primus, est Gas fracidum, quod cum nequeat inficere, sine appropriationis symbolo, requirit alium terminum correlatiuum, qui est fermentum mumiale (sine quo non est appropriatio) nimirum Archeus, Pestis susceptor. Siquidem virulenta Pestis materia, per contagium in nos traducta, non contaminat quenquam, nisi Archeus illam apprehenderit, & appropriauerit. In quo sanè Archeus laborat improvidè. Nam exin Pestis terrorem concipit propria phantasia, non autem ex pauore humano. In qua nimirum terroris Archealis phantasia, Archeus, venenum pestilens parit. Quod est ipsa terroris concepti Idea, vestita propriâ Archei chlamyde. Eheu tunc Pestis intus adest, totumque facilè mox conturbat hominem. Imago ergò Pestilens constat aura Archeali, vt materia continente, cui impressum est venenum terroris Archei, tanquam efficiens immediatum. Neque enim ideo virus Pestis quemcumque semper inquinat, etsi odorem sibi conformem mox in nobis inuenerit: eò quòd fermentum mumiale, quanquam internum: at nihilominus est tantum medium occasionale, respectu contagiosa applicationis siue infectionis applicatæ. Quæ appropriatio proximè consistit in reali & actuali congressu imaginis: per terrorem genitæ, quam Archeus concipit, ex præfata applicatione; existimans

huius respectu, iam domi suæ esse potentem hostem, intra lares hospitatum. Qui panicus Archei terror, est causa immediata. imaginatione genitæ imaginis: (imaginationem proinde probavi, esse in Archeo, præter illam, quæ mentis conceptibus, tam in præcordiis, quam in corde ac cerebro pingitur.) Quæ imago est causa adæquata Pestis. Ipsissima inquam Pestis, non secus atque pullus, nihil est, præter ipsum ouum, foru maturatum. Purpureæ febres enim, venenum quidem atque contagium idcirco habent, præter putredinem, & fermentum appropriationis (vnde nimirum solos homines, non item belluas inquinant) carent tamen Ideâ terroris, quo Archeus, confusione ac desperatione plenus, regimen negligit, funestamque ac feminalem iconem pestilentis veneni fabricat. Hanc denique sui confusionem facillè suis transmurtatis liquoribus alimentariis insinuat, quibus antè inuigilabat, iam in hostilem tartarum cruoris degenerat. Archeus enim, gubernaculum deserens, instar hominis pauidi, præposterè sursum atque deorsum inuertit omnia, & ipsemet profugus, hostem intus receptum conclamat. Fiunt tenebræ, appetitus sternitur, incepta cessat omnis officinarum digestio. Quodque penè vel semidigestum erat, corrumpitur: quia tristem mortalis veneni imaginem horret. Seditio itaque, murmurque est intus per membra, quia horum spiritus insiti, confusionem influi Archei perferunt: sed compescere nequeunt. Etenim si nutrimentum semidigestum, in stomacho recens ac mite erat, sopor oritur, itemque vomitus ac nausea: sin autem iam digerendo aridum, cephalalgia occupat hominem. Sin autem propemodum digestum, cum nidore putrescit. Vnde vomitus continui. Aberrant enim cuncta, putrentque sub imagine veneni, & in terram mucaginem degenerat alimentum ipsius stomachi, quod & causticam acridinem non rarò induit. Estque circa stomachum potissimum murmur. Vtpote ubi primi & inordinati sunt hominum conceptus, atque impetus: ibidem quoque de necessitate, prima Archei confusio terroris, suboritur, fitque imago terribilissima Pestis. Etenim plerumque notavi Pestem circa stomachum prima sedilia locasse. Quidam enim continuo vomitu deiectus, dolorem capitis ingentem sensit, ac mox delirium, deinde & soporem per interualla passus, sedecim horarum spatio obiit, multis deliquiis præuiis. Optabam autem scire, vnde tam celeriter, tantoque symptomatum furore oppetiuisset, nec Chirurgus adesse cuperet, tandem cultro dissectionem institui, ac inueni stomachum illius triplici eschara iam perfecta pertusum. Qualiter olim videram stomachum ancillæ perforatum, quæ volens biberat arsenicum. Interim in quauis Peste, surgit febris ab exordio: quia & minitata corruptio, in Archeo incepta. Vitalia sanè cuncta terrentur, in naturalibus imaginum directionibus, pauida discordia, confusione & desperatione disgregatis. Tartarus cruoris quoque, iam legibus solutus, in tanta totius confusione, furorem arripit, conceptis finibus suæ partis, cui adhærebat, reluctatur, & terroris confusione omnem adauget tumultum. Hæc est scena Pestis, quam aliquando per diuinam clementiam vidi somnio intellectuali. Non est autem Archei pa-

uor, fuga, desperatio, &c. ipsum venenum: prout neque ira animantis, eius est venenum. Sed venenum Pestilens, est ens productum ex imagine pauoris, & vestitum substantia Archei, sicut ira serpentis, iræ imaginem in parte Archei deponit, illamque ad organa executiua iræ, deponit in saliuam, &c. est autem virus pestilens in se horridum, ac mortali contagio serpentum longè crudelius, quod scilicet per vitalem perturbationem (qualis est ira serpentis) in bestiis producit. Contagio enim Pestis serpit in adstantes, nec cum vita animalis perit, vt solent alia bestiarum venena. Eò, quod venenum Pestis non inhæreat vitæ: sed effumanti inde auræ insit imago, & quidem Archeo infecto vestita. Vt sanies, cruor, & pus, adperso vitriolo, adhuc vitam vitalesque actiones, in totum vnde fluxerunt, retinuisse, hodierna docuit magnetica curatio vulnerum, vlcera, & ossifragij. Quinimo Pestis propulsat potius à se fugitiuam vitam, pauidum fugacemque Archeum. Et sicut Rabies canis, productum assumit suum, in saliuam: sic venenum terroris, in tartaro cruoris sigillatur, prout etiam in auram atque odorem dispergitur, peregrè abeuntem. Idcirco enim belluæ sunt immunes spectatrices nostræ calamitatis, quia vniuoci Archei defectu, ideoque & appropriatione carent. Quodcunque tamen subiectum, siue aura fuerit, vestis, vel aliud solidius, etiam pauoris nesciens, quod odore imbui potest, potest itidem esse subiectum, in quod productum pauidæ imaginis possit imprimi: non aliter quam terra odorem celeris vestigij refert. Porro tametsi Pestis sit vnica specie: diuersimodè tamen inuadit. Semel namque adoritur popularis, quæ vulgata fracedine exsurgit, post terræ motum, ex antris, rimis, stagnis, fodinis, & cadaueribus tam belluinis, quam humanis, virus fracidum eructantibus. Quod tamen nondum pestilens est, donec intrò receptum, tum demum fermento appropriatum fuerit. Vnde nimirum terrefactus Archeus, atrocem illam imaginem creat suæ confusionis, atque terroris. Inuadit quoque solo odore pestilenti, ex infirmo, vel cadauere, vel loco, aut re inquinata hausto. Qui quo subtilius subiectum inhæSIONIS suæ habuerit, eò quoque velocius contaminat, celeriusque Archeo approximat, ob solum. Neque enim ideo sudoris halitus, tam præsto inquinat, atque Gas pestilens, odore non perceptibile. Perinde enim atque carbonum Gas, stomachum commouet, vomitum cit, dolores capitis, imò etiam syncopen: sic Pestes notavi, quæ subtili halitu alimentum stomachi proximum infectant, vomitus continuos, singultus, syncopes frequentes, atque deliria, & mortem citissimam adferrent. Vomitusque ille remedia deglutienda recusat: syncope vires deiicit, vt delirium, cibos atque remedia aspernatur. Materia autem infecta iam si per sudorem auferenda, totam domum à stomacho ad pellem vsque transeundo contaminat, nisi per remedia cohibeatur malignitas eius. Nam etsi remedium, illam materiam infectam, promptè attingat, non tamen facillè educit non libenter sequacem. Siquidem nunquam antidotus aliqua, semel infectum, in pristinum restaurat. Estque ideo omnis antidoti cura, duntaxat circa præseruationem nondum infectorum, horumque mitigationem atque celerem

celerem expulsionem. Est & ardua popularis Pests occasio, quod non vitentur loca, & corpora infecta. Quod in castris & obsessis ciuitatibus, luculenter apparet. Legimus namque in Oriente, Pestem à tribus militibus, sepulcrum violantibus, incepisse, castra Romana contaminasse, & tertiam mortalium partem, per cognitas mundi oras, interemisse. Est namque eiusmodi Pests celerrima, ac ferocissima: quæ nimirum cuncta ferè sibi necessaria, secum intrò adducit. Etenim cum venenosa materia, iam nacta sit fermentum, non debet pacisci cum Archeo, de sui receptione, quam facilè à turbato hospite impetrat: siquidem iam in se, Ideam à priore secum adducit, nouamque intus consimilem, in sociam, ab Archeo acquirit. Pests verò, quæ citra externam opem, in nobis, totam sui generationem orditur, ac perficit, fit ex præexistente tartaro cruoris fracido, qui mox sponte cadaueris odorem induit facillimè. Vnde perterritus Archeus, Ideam concepti terrores suscitatur: sicque venenum Pestilens suscitatur: huiusque seminalis, atque infesta imago illi excremento incorporatur: quod igitur sauiendo, pergitq; contaminando. Insensibili enim aura nobis communicatur Pests, quam muscæ, picæ, corui, cornices, aquilæ, canes, lupi, &c. plerumque distinguunt. Notissimum nempe est, domesticum animal canem, vnumquemque odore dignoscere, cuiusve vestigia, vtcunque leuiter impressa, dudum etiam postea distinguere. Estque Gas pestilens, æquè subtile, ac odorabile. Acquirendæ ergo Pests differentes sunt modi. Quorsum reperere oportet, Pestilens venenum duntaxat vnius speciei esse, nec eiusdem rei plures posse parentes, specie atque semine distinctos. Id est, semina non posse esse diuersa. A deo vt scorpio, ab ocymo, & à parente genitus non differat specie: vt neque pediculus à lendibus proueniens, & ab homine prognatus immediatè, identitatem specificam proiicit. Lendes enim, siue pediculorum oua: sunt in identitate Archei, cum materia, vnde homo pediculos immediatè generat. Quoniam si duo semina, specie diuisa, vnicum idem in specie constituerent, frustra ad rerum generationem, dispositiones specificæ in materia: sed promiscuè omnia ex omnibus, atque singula ex singulis, prodirent. Agentia igitur specie diuersa, etsi aliquid sub identitate specifica constituent: Intelligendum tamen idem, ac eiusdem Archei semen, ab vtroque formari. Sic homo facit excrementum vitale, vnde lumbricus, pediculus, &c. foruque suo illam sic disponit, vt Archeum acquirat consimilem, quem pediculus generans, suis ouis originaliter implantauit. Adeoque pediculus generans, est agens vniuocum, quod de se porrigit sufficientem materiam generationi. Homo autem est agens æquiuocum, quod materiam excrementitiam de se dedit, quæ labens, tandem in foru, Archeum acquirat consimilem. Sic cadauer in vermes, & hi sexualiter iterum generant. Sicque mures è sordibus, iterumque è parentibus. Idque totum in insectis, quorum semina velut sponte putrescentibus corporibus eruuntur. Proxima saltem horum materia, & agens harum generationum, vtroque est simplex, vniuersalis, ac specificæ identitatis. Ideo & ambo constituta, sunt eiusdem speciei, generantia postmodum sibi simile, absque delectu: ad-

cò vt pediculi, nostris exhalatibus procedentes, congressus admittant cum iis, qui è lendibus per foru egressi sunt. Proxima ergò materia, proximumque agens, in Peste, sunt vtroque eiusdem Archei seminalis, atque identitatis specificæ. Nam siue materia intus gradatim fiat, vel repente; siue externè hausta, actuetur in nobis: saltem nunquam venenum Pests fit, quin Archei terror imaginem istam virulentam pepererit. Terrorem autem voco, tam hominis primo impetu percussus: quàm ipsius Archei humani, sanguinisque, ex antipathia suscepti. Hoc pacto, vir audax ac strenuus, sæpè coram Peste est pavidus: Imò qui Pestem vix timet, Archeum intus habet, terculamentis obnoxium. Sic namque infans timoris incapax, apprehensionis nescius, non tardius Peste corripitur, quàm timida muliercula. Nam etsi animositas valeat ad præcautionem: non tamen interimit venenum iam conceptum. Suntque diuersæ magnanimitatis audaciæ. Quidam enim intrepidus in monomachia, qui in conflictibus belli timidus. Alius imperterritus pugnando, qui lemures insigniter metuit. Tertius denique non timet hostes, armatos autem rusticos formidat, &c. Galenus putat bonam complexionem, ad pondus siue æquilibrium elementorum, dare robur ad resistendum Pesti. Is, inquam, qui singulas partes atque viscera in homine, differre sola inæqualitate temperamenti elementorum, iam æqualitatem confluentium elementorum, ad pondus, concedit in vna specie humana. Cum alioqui, si cor esset pars temperatissima, iam totus homo iuxta quasuis sui partes deberet necessariò habere consistentiam atque duritiem cordis. Sed elementorum, commistionum, ac temperamentorum opinionem vt stultam ac totaliter falsam, firmis demonstrationibus primus reieci, in volumine, de origine Medicinæ edito. Hanc igitur elementorum commistionem lubenter Galenicis cedo, lubenterque ignoro, quomodo ponderari queat aër, aut ignis, vt ad pondus aquæ ac terræ, collibrata simul, carnem, nervos, ossa, cerebrum, cor, medullas, &c. de se conficiant. Ah inane commentum, crudele facinus, in proximos explodens! Animositas porrò, quàm laudo, non terretur morte aut Peste, Archeum adornat, vt veneno resistat, receptumque per accidens expellat (vincere autem, aut interimere alioqui non potest) non secus ac terror poros claudit, naturæ motu sibi obedientis. Quare, qui à Peste surrexerunt, eodem anno, vix æquè facilè à Peste inquinantur. Contrarium in aliis morbis, atque venenis. Siquidem hæc, nedum post se relinquunt debilitates, vnde facilius est recidiua: verum etiam alia venena operantur, commutando partes, quibus hospitantur. Pestilens autem venenum terrificum, solum primariò inuadit Archeum, eumque perterret. Qui dum semel hostem cognouerit, ac superauerit, præsumit deinceps audacior factus, non tam facilè se succubiturum, nec occasione allati veneni, tam facilè deinde terretur. Nec obest debilitas, quam Pests illi reliquit: quia sufficit, quod non æquè facile terreatur, imaginemque terrores pestilentem, in propria sui substantia depingat. Suntque ideo reliqua venena morborum longè crassiora, quàm imago hausti terrores. Quædam namque non nocent, nisi sub

sub cute aperta : alia verò edi , aut bibi postulant. Basilisci autem, aut catoblepæ rarissimum virus , per imaginationem , visum dirigentem emittitur. Sed Pestilens toxicum, proprio Archei conceptu, intus fabricatur. Venena cætera, sensibili aliquo signo produntur. Solà verò Pestis, insensibili contagio communicatur, perinde atque humani pedis vestigium, sui odorem seruat. Ecce vt Imago tristitiæ repentina, appetitum sternat : rei nauseosæ imago creat vomitum : Imago condolentiæ, pariat lacrymas : Imago lentæ tristitiæ suspiria suscitet : Imago paucis, generet epilepsiam, atque subinde Paralytum : Itaque non frustra alibi de morbis scribens, demonstraui, lætiram, metum, iram, odium, cæterasque passiones, atque perturbationes, non secus atque terror Pestem, actualem sui imaginem propriam, atque singularem in nobis generare. Sed harum generationes sunt nobis domestica, magisque ordinaria proles : Ast terroris pestilentis imago, venenum parit immediate Archeo inexistens, atque ab eodem desumit sui materiam. Ideoque sensus illam nequeunt concipere. Archeus igitur conspecto cominus hoste lethali, intus genito, vel peregrinè allato, suo hunc errore, pictaque de nouo imagine, admittit, sui que caractere atque substantia confirmat. Manus enim nostra, cadaueri sponte extincto admota, mox ita propter fugam Archei, friget, vt longo demum igni, vix recalescat. Attamen canes non sentiunt istud frigus, dum cadauer vorant, prout non multum friget nobis, cadauer pecuinum. Fraudulentum itaque, & accidentale cadaueris humani frigus est, plusque frigefacit, quam frigoris habeat. Plusque cadauer sensim extinctum friget nobis, quam cadauer podagræ, aut acuta febre mortui. Cum tamèn per machinam, qua metimur ambientis auræ gradus, vtrumque horum cadauerum par frigus sit. Scilicet Archeus extimescens mortem, quam apposita manus, cadaueri, diutina infirmitate extincto, percipit, fugit, manum deserit, nec facile (quia memor) redit. Patet ergò, Archeum mortem sentire, fugere, etiam illam, quæ ante & extra se est. Magis adhuc fermenta putrilaginis (vt in rigore febrili) intus concepta genitaue. Et quàm maximè illa, quæ imagine tenus, intra sui œconomiam recepta, tendunt in transmutationem formalem sui esse. Quippe virus, per ideam terroris, summæ est potestatis actualis. Differtque imago timoris, etiam paucis, ab imagine terroris : propter formalem actiuitatem concurrentis fidei, prout antea notauimus. Quinimò, etsi Archeus mortem, atque venena persentiat : terroris tamen virus non persentit, quia putat suum esse terrorem, atque inanem passionem, donec prægresso fermento appropriationis cognouerit, virus istud sibi esse peregrinum, quod in parte sui recondèrat, dum exoticam istam formaret ideam, adeoque cum sui aliquali perditione virus statim à se explodit. Atque vti iam vis sibi innata, non communicaretur per totum, quia via pergit. Sic namque venenum rabidi, nullatenus persentitur ab homine, vt neque à suo Archeo, nisi postquam fermentum, in Archeo sibi stabulauerit. In quarum rabie, imagine, cum sit statim mentis alienatio connexa. Hinc Archeus nullum sibi concipit terrorem in furore. Cespitans enim in

imaginatione, terrorem potius excutit, temerarius insanit, & à rabido veneno dirigitur, ad Hydrophobiam. Finaliter itaque vnicum pestilens virus, vnicum quoque habet terroris intuitum, vnamque viam ad tumulum, vel ad conualescentiam, per bona, vel inepta remedia. Quæcunque autem hæctenus de terroris pestilenti Idea dixi, nolo interpretata licenter. Nam timor ab hostibus, à fure, à morbo, ab animali nocuo, à gladio, generant quidem paucis imaginem, at non pestilentem. Quam ideo terroris nomine designaui distinctam, à qualibet imagine formidinis conceptæ, qua paucis animans. Terror itaque pestilens, non quemlibet, aut cuiusvis calamitatis paucis, hic designat : sed solum virus pestilens horridum, in terrore conceptum tam ab homine, quam eiusdem Archeo. In hac ergò Idea sita est Pestis essentia, omnique huius libri quidditas. Fateor quidem, quod imagines cuiusvis metus facile permutentur in Ideam terroris pestilentis. Perinde vt grauida, in carnem illibatam sui fœtus traducit imaginem muris, imò totum embryonem in horridum quandoque animal vel monstrum transplantauit. Quia vt alibi de formis docui : imagines formales sese mutuò penetrant, posteriorque priorem facile in sui obsequium trahit, quod Hippocrates vocat, femina duci, quo nolunt. Equidem elementorum diuersitatem, & congressum pro mixto, itemque complexionum, humorum, indeque natarum conditionum, inclinationum, ac studiorum, climatum denique, angulorum, ætatum, proportionum, fortitudinum, magnitudinis, & alteritatum diuisiones, in subsidium ignorantia conuocare, vt per hoc calamitates plures, maiores, difficilioreque efficiamus, incertitudines augeamus, inscitias tegamus, dubia patremus, imposturas patrocinemur, & vitæ desperationes promoueamus, non nisi est in vanum laborasse. Est namque lux perfecta scientiarum, Ignis instar, qui sine delectu cremat omne combustibile. Talem olim Hippocrates nactus erat scientiam.

Proprietates Pestis.

DEmonstraui pathemata animi, appetitum demoliri, vt & digestionem sternere. primos denique cogitationum motus, in præcordiis sua sortiri conciliabula. Idcirco & os stomachi Mercurio dicaui, cui Ethnici tribuerunt ingenij acumen, vt & somniferum caduceum. Dixi quoque Pestem originaliter ab hominis terrore concipi, & quæ adducta è corpore pestifero in nos vehitur aura, primo sui impetu, in Lienem ruere ; qui eandem mox excutit, ac veluti per manum, orificio stomachi tradit. Hinc appetitus deiectio, vomitus, dolor capitis, deliria, deliquia, sitis, sopor, &c. Pestis autem quæ in nobis fit, prout & quæ extrinsecus hauritur : sua habent diuersoria, quibus singulæ furere incipiunt. Quamdiu autem Idea tristitiæ ac metus obsident tartarum cruoris, in stomacho, ac quantisper abest imago terroris Archei, nondum Pestis adest. Fit quidem interim, si minus accuratè se custodiuerint, quod tartarus cruoris, magis magisque infestus, Archeum tandem terreat : sibi que cudad pestilens virus. Sunt etenim Pestes, solo terrore

rore natæ, velociore, ac terribiliores multò, quàm quæ ex contaminata proueniunt aura. Multos etenim hic fortassis percellit; Quod stomachus, cum saltem membrana sit: perturbationes tamen, primosque impetus, vel in eius orificio collocauerim, vel in Splene, illa saltem parte extrema sui, quæ orificio stomachi incubat, hincque fermentum impertitur, ad digestionis necessitates requisitum. Sed Scholæ ipsæ, os stomachi, cordis etymo appellant. Etenim vulnus illius loci, ac vulnus cordis, iisdem symptomatibus, ac æquè celeriter interficiunt. Nam vidi plures, quibus apoplexia fortis, caput planè insensibile ac mortuum fecerat: multas tamen horas post, calerent in præcordiis. Sponsa enim in rheda propè Scaldim, à ruranis mosquetariis salutatur, eiusque tempora, glans mosqueti traicit, cerebri non parum effunditur, & caput illicò moritur. Viluordiam autem, quatuor inde leucis distantem, allata, pulsus adhuc viræ testimonia dabat. Nonne & vitalis, totius quidam rector spiritus, in vtero est? quique duntaxat membrana est, per modum stomachi? & longè maiorum perturbationum sedes, quàm sint iecur, pulmo & renes? Profectò membra in se, non nisi cadauera sunt: spiritus autem est rector, qui viuificat illa, quem & qualem Deus plantauit, vbi voluit. Memini equidem sæpius me vidisse, qui tartarum cruoris aliquali timore Pestis: sed sine fide, aut præsumptione contractæ infectionis corruptum haberent, indefinentem anxietatem, atque pugnam, diu noctuque sustinerent, imò quamuis saperent, suasque riderent anxietates: non poterant non tamen, quin conceptam timoris imaginem, diu noctuque, in somnes ob oculos vaserent. Erant namq; similes demorsis à rabido, qui velint nolint, sequacem præbent imaginationem suam, ad veneni lubitum. Demum in ipso cruoris tartaro, circa præcordia hærente, inueni propriam phantasiam naturalem, quam imago concepti, in Splene timoris, sibi finxerat. Sic non semel lasciuia somnia, ex prægressæ diei imaginatione, sequuntur: sed plerumque etiam ab ipsa prædominante parastatis materia: non secus etiam atque micturiens se continuo meiere somniat. Terror ergò hominis, est occasio Pestis: terrorque Archei, efficiens est imaginis, & veneni pestiferi. Est enim velut pater Pestis, qui patrata virulenta imagine, licet cesset, saltem Pestis concepta est in sui imagine. Nam si terror hominis esset sufficiens causa Pestis: necessariò quoque semper terrorem pestilentem Pestis sequeretur. Quod falsum. Prout etiam, in infante, omnis terroris experte, Pestis pro lubitu recipitur. Vnde sat constat, Ipsum Archeum conterritum, esse primitiuam causam efficientem imaginis pestilentis. Pestis itaque constat iniquatione, contagione scilicet, celeritate cursus, singularitate veneni, concomitantium terribilitate, præseruationis demum, ac curationis difficultate. Enimverò ponè relinquo Pestis inquisitionem, quæ in supplicium propter occulta Dei iudicia mittitur. Quæ licet planè sit supra naturam: interim tamen eius materia non est creatura nuper è nihilo facta: quia quodammodò fines naturæ ingreditur. Non enim Angelus percussus stabat in monte, quem aëris præterfluens vnda continua lambendo abluit: Neque stabat etiam in excelsa turri: quaque ta-

men peccatum Dauidis, concupiscendo, ortum susceperat: sed stabat in fracido atrio Auraunæ. Sic Angeli in Apocalypsi, suas effundunt lagenas, vnde tertia mortalium pars quandoque peribit. Verbum, imò nutus Domini, cuncta facere potest, absque atrio, vagina, gladio, lagenis, effusione veneni, &c. Sed pietatis eius tanta est vbertas, vt eiusmodi supplicia non det nuda per Verbum: fonte propter perpetuam Verbi sui constantiam, & irreuocabilem firmitudinem. Nec etiam per cacodæmones, Pestem supernaturalem mittit, ne viuos tradat in manus hostium. Pestis demum, si qua per incantationes parta sit, sequitur naturam. Siquidem non valet diabolus ex se, vel vnum culicem facere, nisi eius assumat initia seminalia. Prout magi sui non potuerunt, ex puluere facere cyniphes, proles aquarum: quapropter & diaboli impotentiam confitentes, tum exclamarunt: Verè Dei digitus hic est! Si ergò diabolo quandoque permissum fuerit, formare Pestem. Id sanè ex naturæ principiis desumit. Differretque Pestis diabolica à naturali ordinaria, applicatione, & appropriatione. Applicaret nempe tenacius actuationem, & impressionem veneni, non secus, atque follis, ignem quem non fecit, saltem promouet atque intendit: Appropriaret verò cum præparatione præuia per imaginem terroris, à suis mancipiis haustam, ac mutuatam. Et licet eiusmodi Pestes, essent ferociores: iisdem tamen cederent remediis naturalibus. Atrociores autem voco, ob celeritatem, superaddita scilicet inuidiæ truculentæ imagine, à Sagis habita. Attamen eiusmodi permissiones, adhuc essent determinatæ ad personas, ac numerum: imò facilius expiantur per orationem & eleemosynam, quàm Pestes ordinariæ. Quo scilicet Deus, humani generis misertus, magis oderit diabolicas artes, diabolumque tædere faciat diuinæ mox misericordiæ. Ast eudæmones, Pestis structores, magna certè id compassione, vt non nisi sub mandato obedientiæ, virga Domini & non Angelorum, vapulemus. Decorum nempe seruat vbiq; Deus. Prætores, ac satellites sumit, qui natiuam bonitatem habent, amicitiam seruant, nec indolem diabolicam assumere possunt, cui sciunt nullum in cælis locum esse: Sodomam autem, antequam Diabolo traderet, priuauit prius paucis infontibus. Est autem Pestis, quæ execratione oritur propter extremam paupertatis amentis anxietatem, derelictam execrantem parturientem, vulneratum, &c. Pestis punitionis diuinæ, quæ sanè vix initiis naturæ innititur, facileque dignoscitur: quia sola loca execrata, ac personas tales inuadit: Itemque diuites, qui sedent in cubilibus eburneis, bibunt ex vasis deauratis, edunt vitulum de armento, & pinguem ouem de grege: nec fratris Iosephi incarcerati recordantur. Quoniam eorum exterminationem adiurat Dominus, vt reliqui, vel vt ex speculo intueantur, quid sit Deo placuisse, & displicuisse. Pestes autem, quæ castra sequuntur, ac plerumque aliquot ab obsidione menses sæuiunt, non sunt militum immundiciis adscribendæ: potissimum si dudum post captam ciuitatem (vt plerumque fit) inceperint. Nam & castra olim suas, & eadem militum impuritates habebant: sed occasio fracidi odoris cadauerum, mumiali fermento infecti:

infecti: quippe quod hodie, non vt olim, nec sat profundè sepeliantur occisi. Denique potissimum, quod lædantur ab inuisibili glande eminus, terrorem Archeo quæ maiorem mouet, quam dum hasta hastæ, & gladius gladio animosè opponerentur. Neque enim frustra in Legge erat præceptum. Quod quicumque tangeret cadauer, impurus esset, & abluendus simul cum sua veste. Quodque Sol, super corpora suspensorum non occideret, Quæ sanè literalis sensu, pro reipubl. bono, sic sunt à Deo præscripta, ne fermentum mumiale fracescat. Deplorandæ itaque est cæcitatæ, & temeritatæ, corpora suspensorum ostentari ad spectaculum, donec sponte decidant (paruum nempe inde commodum, pro tantis malis) & perinde est ac si dixerit Iudex. Deus quidem sic instituit: sed magistratus correxit propter melius. Quasi Deo ignotum fuisset, quod spectaculum suspensi, malis foret horridum. Ergo si hoc sciuit Deus, & nihilominus expressum mandatum sepeliendi dedit: non est mirum, quod transgressionem comes sequatur punitio. Ac sequitur fontes, vltor à tergo Deus. Atque vtinam solos in transgressores, conuersum supplicium: Etenim sepelire, opus est misericordiæ. Ostentare autem fontes suspensos, non est opus, ad quod æternum ite, aut venite, quandoque pronuntiabitur. Siquidem non minoris est misericordiæ, condemnati cadauer sepeliisse, quam principis. Hæcque misericordia, non tam exercetur in mortuum: quam in proximos, ne fætor insequens eos inficiat. Nec enim sepulto prodest sepeliri: sed viuus. Scopus itaque diuinæ bonitatæ, non solum in sepeliendo, at in sat profundè inhumando consistit. Quæ clariora, per exemplum fient. Etenim falco mortuus, ponè sentes abiectus, ac semiputridus, à viuo deuoratur, at mox Peste contagiosissima suæ speciei corripitur. Quia virus terroris intrò assumptum Archeo suo incutit, propter symbolum mumiale, putrida fracedine infectum. Estque tanta falconis Pestis: quod pestilens falco, per plateam delatus, inhiat alios omnes, qui triduo abinde isthac deferuntur. Vnde conicies, quid humana cadauera, tam suspensorum, quam incuriè sepulcorum, sui odore faciant. Canis enim canem non edit, nisi infumatum, dum videlicet mortis mumia, horrorem, gustus alienatione, præseruando à putredine, amisit. Lupus autem, lupum nouiter mactatum, non autem putridum, edit. Vnde suspicio est, in lupo aliquid esse, appropriatiōne mumiali superius. Putauit fortè Paracelsus, id esse, in quo sedet prima obiecti applicati sensatio. Fortè & ob id linguam Lupi suspensam, Pesti aduersam putarunt. Quinimò militum cadauera, profundius hodie, quam olim sepelienda sunt. Quia glans bombardæ, siue musqueti, facit contusionem, dein secum partem aufert, quare foramen parit patulum, ac tandem simul venenosam fuliginis impressionem patrat; vnde mox, caro circumcirca, gangræna quadam nigricat. Facileque venenum in se assumit; sinon in vita, saltem mox à morte: dum nempe carnis festina putrilagine, in terram combibita, fracedo cadauerosa oboritur. Quibus omnibus iuncta est in morientis Archeo, Idea vltionis, ad putrefactionem prona. Inde in aërem, Gas monstruosum, effunditur in aëra, quod Archeos viuentium, terrore percutit.

Est enim cum cadauere, perinde atque cum fimo equino. Qui non fracescit quamdiu calet: Sed dum arefcit, & sal petrae inde migravit, tenditque fimus ad transmutatum iri, in liquorum terræ. Alioque namque si fimus, vrinae equi aspersione atque agitatione frequenti, à fracedine cohibeatur: multum salis petrae profert. Etenim aspice quàm potens nutrimentum, est fungus vnus noctis (est fungus nimirum, fructus è succo Leffas, coagulatus, primo enti vicinus: quod alibi ostendi) sed postquam fracedinem terræ assumit, quam dirum suffocationi venenum proferat. Aduigilandum itaque, ne fracedo surgat, in vltimæ digestionis reliquiis. Enimverò Pests, per pedissequam, domum meam subintravit. Illa statim convaluit. Vterque filius meus, maior natu, animo consternatus, inconcussum ostentat animum, tacuitque, se continuo suspirij bello, ad os stomachi, angi: cumque præpotentum hostium meorum technis, structisque dolis, domi meæ, sub cautione fideiussoria detinerer, noluitque vterque, me deserendo, rus adire. Cumque aliàs obseruassent, natando se recreari, æstate media, me incio ter natarunt: vnde obseruata transpiratione, illicò in febrim deuolutus vterque, cum deiecta appetentia, dolore capitis, & catocho, obiit apud moniales, iurantes, se mea remedia admissuras: sed postquam filios meos recepissent, recusarunt remedia aliena. Maximus quidem, absque stigmate, aut signo, etiam post mortem, periit. Vtpote refrigerata pelle natando, nil extrorsum apparuit. Alter verò, paruam duntaxat liuidam pustulam in lumbis ostendit. Horumque iacturam velut præsentem, frequenter intueor, huiusque tractatus initium dedisse putaueris. Relinquo Domino meo vindictam, quem supplex obtestor, hostibus meis parcat, & lumen pœnitentiæ largiatur.

Signa.

Scripsi hætenus paradoxa infueta. Intellectus meus absque Luna, erat tribulationibus immerfus, materia aderat terroris, horrores, atque difficultatum plenissima. Lector multus, optimorum incapax, breuitas initij, tenebrosa, nouitasque odiosa, licet pernecessaria. Quod autem potissimum nos in Peste occæcat, est defectus signi exquisiti, & inseparabilis, cuius monitu nimirum, sat tempestiuè queamus per remedia occurrere. Nihilominus quicquid creati vbiuis est, sua habet diagnostica signa, per quæ à reliquis commodè distinguatur; quæque Pestem præcedunt, comitantur, vel mox subsequuntur. Quæ enim præcedunt; in præcautionem faciunt: at quæcunque dein sequuntur, aliis plus inseruiunt, quam misero ægroto. Sola autem signa comitantia sanationem decernunt. Enimverò signa venturæ Pests, in cælis depicta sunt, si firmamentum annunciat opera manuum Domini, in terra. Signa eiusmodi malè ab Astrologis, in dodecatemorion causarum relata esse, jam ante sat manifestauit. Gasarel autem nuper Alphabetum Ebraicum, ex stellarum situ, & Rabbiorum auctoritate, descripsit satis ridiculo argumento, quo Ebraei eiusmodi lurida comminiscitur. Quasi Deus modò solos haberet seruos suos Rabbios,

Rabbinos, quibus secreta consilia communicet. Non etenim considerant positionum istarum turpitudinem Christiani, qui huiusmodi libros imprimi permittunt. Neque enim stellę fixę loca sua mutant, vt nunc hęc, nunc alia ventura, describant. Quod imprimis aduersatur toti Astrologiæ. Cometę quoque, trabes, dracones, sagittę, cęteraque id genus portenta, non raro populares pronunciarunt Pestes sed non per logisticem, aut theoreticas planetarum, multoque minus per Alphabetum Ebręorum. Exleges namque luces, regulis stas haud obediunt. Etenim Astrologi Hierosolymitani, artis suę licet gnarissimi; attamen significationem, vt & apparitionem, Astri Bethlemici, penitus ignorarunt. *Non enim faciet Dominus verbum, quod non reuelarit seruis, & prophetis suis.* Amos 3. Sed horum nulla est artificum scientia. Noua quippe lumina sæpè fuere funesta, sæpè è directo fausta significarunt. Portenta quippe, in manu Domini, secreta eius iudicia propalant, nec illa, nisi quibus vult, manifestat. Siquidem coniunctiones, oppositiones, quadrataque stellarum: Item eclypses, retrogradationes, exilia, combustiones, receptiones, aliaque impedimenta: supposita sunt ita regularia, quod ephemerides quandoque pro seculo sint descriptę. Pestis verò est de crescentibus extraordinariis, & non necessariis. Non est autem regulare medium, ex condigno adæquatam signum, pro effectu ab contingenti fortuito. Neque idè ephemerides Braheę, prædicere potuere Pestem Longobardicam anni 1632. ex iniquo bello, metuque horroris conceptam. Quocirca contingentia extraordinaria, causis contingentibus extraordinariis tribuo. Credo equidem prænuncia eorundem signa, in firmamento esse depicta: at non in directionibus cursuum planetarium. Quare autumo signa esse irregularia, nec Astrologiæ subiecta: quippe illorum significationes dantur priuilegio extraordinario. Idcirco signa eiusmodi Pestis, plerumque solis declarantur seruis Dei. Vt legitur de Iona. Sed signa, præcedentia excidium Hierusalem, erant nuncia verbi dudum antea prophetati, adeoque nec prænunciatum excidium impediri poterat, tantumque ad meram gloriam Dei, monitionem piorum; horumque fugam dirigebantur. Enim verò Israël mori, atque renouari per generationem in deserto debebat, exceptis Iosua & Caleb. Nec vllatenus id præpediri poterat. Stat enim Verbum Domini immutabile, apud quem nulla est vicissitudo; quia non est homini in hoc similis. Portenta igitur, si conditionem in declarando non præscribant (*nisi Ninus conuertatur*) inuitabilem effectum à natura spondent. Aliis quoque placuit, monstrorum natiuitates trahere in prænuncia signa Pestis. Prout Corn. Gemma de Cosmocriticis, seu diuinis Characterismis, nugando rapsodiat sine basi. Sed quis ille, qui monstrorum prænuncia designata sciet, vel interpretabitur? Peste enim præsentate, nunc nimirum, atque serò, quisque significata ad lubitum trahit suum. Sunt & qui ideo infolitarum auium aduentum horreant. Sed istud signum, vel desinit esse naturale; vel coturnicum, Pestem Israëliticam in deserto præcedens, desinet esse miraculum. Hocque impium & blasphemum esto: illud verò, impertinens scopo meo. Alij hoc signum interpretantur pro

Helmont pars II.

carniuoris auibus, in Pestem futuram: quasi missę essent ad deuoranda cadauera, futura inhumanda: Iuxta illud, Vbi cadauera, eò congregantur aquilę. At non legitur textus pro cadaueribus futuris; nec aquilę leguntur ad cadauera pestifera volasse, eaque degustasse: cum præ cęteris, curiosissimè solita sint sepeliri. Rhodanus enim quandoque Lugdunensis Pestis abstulit cadauera: sed ciuitates inferiores contaminauit. Altem Clerus Lugdunensis per hoc declarauit, sepulturam mortuorum, non tam ad animę salutem, quàm ad crumenam custodiri. Aduentus itaque auium, præda viuientium, potius futurum defectum prædę suę in natalibus prouinciis designat, potiusque belli stragem portento denunciarent, quam Pestem imminentem. Alii autem, Pestem occurfu insolitorum pissium ariolantur. Aquas tabo scilicet infectas, autumant, & hætenus monstra marina, in fluctus ascendere. Ridiculum sanè. Nam si mare, in sua falsedine fracescat, quænam tandem aqua maris labem eluet? Curue vnica balæna extra orbitam errans, infestum virus maris senserit? nec gregatim omnes aut plures simul? Equidem scio, mare non sul esse contagio naturali Pestis, quodque portenta cęli, atque maris, eodem digito dirigantur, cuius iudicii imperscrutabilis sint præcones, suis tantum seruis explicata. Nam idem Dominus tam in centro terrę, fundo maris, quàm in cęlorum apice, est præsens. Equidem illi æqualiter auscultant omnia, excepto ingratisimo peccatore. At certè magis vereor, insolitas pluuias cruoris, macularum, aut scintillarum: Itemque funera per nubes delata, tonos lugubres in aère auditos, vt & sonitus in cęmeteriis, &c. Quæ cum sint diuinę bonitatis admonita, ideo extra naturam referenda sunt, vt tempestinè quisque suis lampadibus oleum prospiciat. Neque idcirco enim illa portenta, cacodæmonis (nisi inuiti) opera autumo. Equidem gratuita sunt, & nupta naturam: neque ideo mei sunt scopi. Paracelsus enim vt in bufone atque ranis, singulare Pestis remedium nouerat: ita & hanc prælagiri scribit, quoties magnus ranarum aceruus in cumulum affurgit, intimum aliquem suffocaturus. Quo enecto, dein alium adoritur, donec sensim sic diminuto numero, quæque ranarum tandem singulariter effugiat. Quæ si sic naturaliter accidant: vt remedium, pro futura Peste præparant: ita & designant. Etenim ex Galla, prout & pomo, quernis frondibus educto, scribunt, tria plerumque erui animalcula. Nimirum si araneam contineat, volunt portendere Pestem: si muscam, bellum: si verò reptile, famem prænunciare. Sed cum quotannis vnum saltem è tribus inclusum reperiatur, si non bina, vel omnia: non sequatur tamen continuo vnum ex illis suppliciiis. Quapropter eiusmodi prædictiones inter aniles refero. Censeo itaque huiusmodi infectas denunciare differentiam Lessas in quercu (Lessas est succus alimentarius plantarum) sic vt vermis denotet præfatu alimentum fracidum: aranea autem, insuper adjunctum venenum fracedini. Ideoque toto fere terrę globo connexa quasi, ac contigua est vbiuis aranea: quæ in quercu non extra arborem aliquid portendit: maximè quod in vicinis, consitisque arboribus, nec etiam raro in eiusdem quercus fructibus, diuersæ illæ simul infectæ, eadem ætate

Qq q

conspi

conspiciuntur. Non tamen memini in eadem quercu inuenisse araneam simul & muscam. Quanquam muscam quidem & vermem, vermem quoque & araneam. At absit à Christiano prophetare, ex quercu & therebintho: diris namque id minis, à Domino prohibitum legitur. At quoties terræ motum, nouus antrorum, rarusque comitatur, insuetusue fœtor stagnis aduenit: tunc signa endemica, vires habent occasionales. Hæc de futura Peste. Quod autem præsentem attinet, nunquam enim potui expulsum, vel vrina, quantumuis etiam distillata, Pestem nouisse præsentem. Paracelsus equidem, eam inter morbos hepatis, ac tartareos, satque ridiculè numerat, prout alibi tractatu; & figmento de tartaris expugnando, ex professo profectus sum. Hic vir, Pesti anonymum pulsum tribuit, quem quartum vocat. Ego autem quamuis ferio, sapiusque attenderim: meam tamen ineptitudinem agnosco, quod eiusmodi pulsum offenderim nunquam. At benè circa vitæ finem inæqualiter inordinatum, formicantem, ac tandem intermittentem notauit. Quartum autem, sextumue, à reliquis diuersum, ex peculiari Pestis prodicione, nunquam inueni: Sed pulsus pestilens, nequaquam mihi diuersus occurrit à febribus continuis malignis. Vrina ergò, & pulsus, nunquam apud meam ruditatem, detexerunt Pestem. Imo dum penitus Paracelsi scripta euoluerem, cognoui illum, nunquam Peste infecto, aut moribundo adstitisse. Interim Pestis iudicium, grauat conscientiam, tam respectu afflicti, quàm familiæ eiusdem: eò quòd Pestis, Prætorum in crimine, quadam similitudine referat, petentem vitæ, atque bonorum iacturam. Adeoque temerarium de Peste iudicium crimen continet. Etenim cognouisse Pestem, ex specie insolitæ febris, alteri sit facile: mihi sanè perquam difficile fuit. Pestis (dices) est cum febris, & dolore capitis: atque istud familiare aliis febribus. Pestem sæpè comitatur vomitus, & sopor. At alibi id non prorsus insolens est. Sunt in Peste bubones, parotides, vel vesiculæ: ea non infrequenter innoxii à Peste febribus, sunt vernacula. Sunt & Pesti maculæ nigræ, quas in mulieribus ex utero suffocatis vidi. Estque febris purpurea, itemque ectymata plumbea, citra Pestem. Ut & Anthrax, sæpè extra Pestem obuenerit. At quoties plura eiusmodi signa concurrunt, non est difficile de Peste iudicium. Bubo namque, vesiculæ, aut maculæ, ab initio ante multam Pestis truculentiam, Pestem denunciant. Sic & anthrax, aut bubo, tumorque tantillus, in Peste est longè dolentior, quàm alibi vsquam, ac ferè ante augmentum febris adsunt, anticipantque suspicionem, se ex febre manasse. Adeò quòd eiusmodi pellis miseræ, in Peste præcedant, quæ aliis febribus ferius, tanquam producta adueniunt. Bubo pestilens, adhuc minutulus, statim, & ex tempore, absque membri dolore, febrisque comminutione atrox existit, doletque immensum. At si bubo, post præuium membri dolorem emergat, inepti remedij vehit iudicium. Ordinaria igitur iam hospitatae Pestis signa sunt: si ante, vel mox ab initio febris, glandula, parotis, anthrax, vesica, pustula, aut macula repente, summoque dolore inuaserint. In aliis namque febribus, non tam insigniter dolent, ruber quidem locus, tumetque ante natum malum: Quod non sic se habet in Peste. Confirma-

turque Pestis vomitu, dolore capitis excellenti, sopore, delirio, deiecta appetentia, si repente inuaserint. Pestis enim peregrè aduentans à contractu veneni hausta, tanquam dolor pungentis styli intrat, partemque quam ferit, statim timore, pustula, vesicula, aut macula, summo dolore signat. Prout & quæ per odorem intrat, stomachum, atque caput vibrat, dolore repentinum, vel anxietate soporifera: vel ipsum stomachum tanquam calcar ad vomitum incitat. Sin autem ab interno scaturiat, ea præuiam habet febrim, ad quam confestim præfatorum signorum aliquid subsequitur. Quæ autem correpto terrore irruit, festina est, ægrique testimonio dignoscitur. Quæ verò aliquali Archei (non autem hominis) terrore, orta est, inque cruoris tartaro latet, in gradu quidem ad Pestem est, tardiorque solito erumpit, facilèque superatur, nisi ægri obstiterit negligentia: attamen longior in itinere ipsi mora est. Etenim plerumque sat tempestiue, signa Pestem comitantia, cognoscuntur, ut remedium quod promptum, quodque peremptorium fuerit, ritè suo fungatur munere. Opratus attamen meus esset, Pestem in fieri esse, agnoscere. Nam quæ duntaxat à morte, sua profert signata, magnum de medio tollit exercitum, multasque depopulatur familias. Quippe lethalis iam euasit, priusquam se patefaciat, aut cognoscatur. Eò quòd pensum prius absoluerit cum singultu, deliquio, escharaque in loco nobili. Hanc nempe vnus diei vocant tragediam: diariam ideo, siue ephemeram. Non quod Pestis propriam sedem habeat, vitæ spiritum, quanquam nulla vnquam Pestis fuerit, quæ Archeum etiam non infectauerit: adeoque & illo titulo, quælibet Pestis, continuò diaria esse deberet. Sed quicquid de Archeo victum est à Peste, id consequenter illicò à vitali illo Archeo separatur. Tandem & citissimam mortem adfert, quæ Archeum alicuius visceris obsedit: quia continuò inde volucres mortis euolant, quæ reliquum pessumdant Archeum. Utinam enim atque utinam, non serò, neque ex euentu Pestem agnoscamus, Nam velox interitus, etsi signa proferat sua: prodest tamen magis in futurum, nil autem præteritis. Aliqui enim ad hoc, plantas pedum lardo infuso iniungunt, apponunt catulum, qui si lambat, persuadent sibi, casum à Peste immunem. Alij verò frustum lardi calefaciunt, ad pedes infirmi, subterue axillas aliquando fouent, vel in inguine. Hocque aiunt à cane non vorari, si Pestis adsit. Quod nullam meretur fidem. Nam humana Pestis, non quatit canes, nec nauseosos facit. Siquidem tam canes, quàm lupi, non fat benè sepulta cadauera impune deuorant, ut & picæ, atque corui similiter. Forte quidem esuriens canis non edet istud lardum, ad heri sui pedes affricatum: quia herum olet, quem mordere non audet. Germani enim Petasiten, siue maiorem tussilaginem, radicem Pestilentiaæ vocant, eò quòd sicut Pestis sese pandit ante prænuncium signum: sic petasitis suos edat flores, ante folia. Pestis quoque, non tam semine, quàm radice Archeali, se propagat. Referunt etiam, Sapphirum saturare lazereum, vel Hyacinthum citrinum, si per horæ quadrantem, super membro dolente moretur, sicut lumen, ex opposito gemmæ: locum infectum feriat, ibidemque radios colligat, locum attractum infra horam liuescere,

scere, esseque infallibile Pestis signaculum. Sin vero locus nequaquam colorem liuidiorem assumserit, infirmum à Peste absolui. Ego autem semper in dubiis, bufone puluerato sum vsus, pulvisque forma, in aquæ simplicis tantillo, decocto. Quod si mox abinde dolor in eschara anthrace, vel bubone, mitesceret, secure Pestem adesse conieci. Aliquando enim aspiciens missam antistitum, & abbatum, illorumque digitos gemmis ornatos, conieci illos olim obligatos, ad visitandum infectos Peste: nunc verò adhuc gemmas gestari gemmarum neglecto, atque nescito vsu quem ego conicio.

Præseruatio.

Præseruatiua apud Veteres, duplicia. Nam quædam debent impedire futuram Pestem: alia quoque præsentem, ne progrediantur, succidere. Pro priore enim, tam foris amuleta, quam intus alexiteria excogitarunt. Sed cum Scholæ ignorauerint ipsam veneni quidditatem: quodque scilicet omnis Pestis, siue deforis allata, siue demum intus genita fuerit, præsupponat imaginem terroris venefici: Idcirco nunquam propria præseruatiua, ex fundamento cognita fuere. Itaque inter præseruatiua. 1. Considero, ne spiritus Archei in nobis terrorem concipiat, neue ex terrore sibi pariat, vel aliunde intrò allatum, virus terrificum. 2. Ne fermentalis symbolizansque mumia, forinsecus allata, nostræ mumie internum rectorem Archeum infectet. 3. Ut interimatur, & abscedat, quicquid iam in contagio, mumie particeps euaserit. Minus proinde symbolum, quod nobiscum commune habet, est tollendum. Quapropter cuilibet antidoto, semper leue aliquod venenum solet admiscere: vt scilicet hæctenus applicatio, siue approximatio tollatur: Archeus, à contagio seruetur immunis, neue in alimentum mumiale decidat, sibi que inde tartarum cruoris fabricet. In hoc postremo tutelæ patrocínio tota antiquitas vigilauit, aliis verò non incubuit, quia ignotis. Licet hæc vltima præseruatio idcirco cesserit incerta, & absque fruge: quia potius productum posterius, siue sedem spectauerit, quam radicem, siue causam præcipuam. Cum interim præseruatio à posteriori: positis antecedentibus, præuertatur tanquam frustranea. Itaque si de præseruatiuis, atque alexiteriis ex condigno sit tractandum. In animo firmiter hæere debent, quæ iam de causis, processu, ac modo fiendæ Pestis exposui. Itaque Pestis, vel deforis intrat, locumque sui introitus deforis signat: quia afficit primario: vel cum anhelitu attrahitur, ibique per diaphragma, siue septum transversum, transit, pressuramque facit & anxietates super ipsum stomachi conuexum: ibidem vestit materiam. Quæ inde mox exhalat, & contagio fit infamis. Cumque in natura, omne agens initium habeat, augmentum, statum, declinationem, ac tandem interitum: Necessè est pariter, quò corruptio diuturnior potiorque fuerit, eò quoque perniciosior efficiatur. Nam pestis incipiens augetur, cum diminutione, atque hominis interitu. Etenim dudum credidi, quòd omne Pestis remedium sanatiuum, eiusdem quoque esset necessariò præseruatiuum. Eò quòd præseruari faciliùs censeatur, quam sanari.

Quicquid in eodem genere præstat, quod est difficilius, faceret libenter, & id quod est facilius. Quapropter olim distentus fui, cura alexipharmacis indagandis, quibus videlicet cum tota mei penderet voti satisfactio. At postmodum alio diuerti & cogitavi, remedia sanatiua potius extractionem, siue expulsionem mali spectare. Quodque eiusmodi non haberent locum, in præseruatiuis de futuro. Quod nimirum cum nondum sit, etiam nondum expelli, aut extrahi queat; imò ne quidem extingui. Si quidem inprimis, remedium contra terrorem imaginantis hominis, vel Archei: non tam in se est positium, quam negatiuum. Adeoque potus meracus ad hilaritatem vsque, præseruat de futuro. Quia nedum hominis: sed & Archei imaginationem sic regit, quod pereat vis formandi imagines. Sic enim nemo pauper est, aut defectuosus, quamdiu ex potu hilaris est. Ideoque Sacra dictant vinum ad hilaritatem, non autem ad ebrietatem conditum esse. Quia potens est præsidium præseruatiuum. Adeo quamuis animositas viri excludat terrores ex imaginatione hominis: nequit tamen virilis animositas tollere terrorem Archei imaginantis. Nam præfata animositas admittit pugnam ex opinione contraria Archei: Hilaritas verò, per potum introducta, nec hostem admittit, nec agnoscit, vt nec luctam suscipit: sed excludit. Est autem potus exhilarans, magis Pestis futuræ, quam præsentis aptus. Admitto idcirco etiam præseruatiua Pestis, de præsentis, & sanatiua, esse eiusdem cohortis, ac intentionis: non autem de futuro. Ita tamen, vt præseruatiua Pestis de præsentis, non seruiant nisi in fieri esse augmenti: non autem in facto esse producti. Eò quòd corrupti, non sint amplius præseruatiua; sed duntaxat sanatiua per extirpationem. Non credendum itaque, cacoalexiteria, etsi venena essent potentissima, posse arcere terrorem, vt neque terroris effectum pestilentem. Siquidem virus pestilens, est heteroclitum, secretumque ab reliquis venenis, in hoc, quod ex terrore Archei, velut ignis è silice, profiliat. Nam si Archeus terrefactus, campo cedat, vtique non potest corpus (quod in se considerando, merum est cadauer) confortationem suscipere. Porro, si ita Archeus recedere consideretur, vt eius loco virus intret, ipsumque Archeus hæctenus supplantauerit: quomodo odoramenta, ac thymiamata virus præpedient: præsertim si ipsa aromatum præstantissima, sint pestilentis contagij adhuc susceptiua? Christianæ ergò pietatis atque compassionis esto, studiosè contemplari mecum, quam stolidè, atque inaccuratè, tot simplicia in aceruum, præseruando, & curando sint congesta: quantumque illorum infida auxilia deluserint hominum myriades & expectationes. Quippe in vero remedio, vbique generi humano est ludificatum, ob densam causarum inscitiam. Enimverò curatiuum præsentis veneni præsupponit id, quod præseruatiuum de futuro anticipat. Curatiuum itaque proprium conuenit duntaxat, quatenus productum (quod est ipsum virus pestilens) in ipsa materia, cui insidet, trucidando annihilat. Denique & aliud curatiuum, sibi coniunctum, incumbit expellendo subiecto ipsius veneni. Quod per sudorem est intentandum. Tertium porro, quod coadaptationem causarum ad producta tollit,

rollig, minuitque: quod etiam in se naturam præseruatiui habet. Pests itaque, quæ extrinsecus ab infecto corpore, veste, aut loco, hauritur: habet quidem in se absolutum, & formale pestilens venenum, quod nec præsupponit fracedinem præexistentem, atque ideo nullis præcedentibus querelis repente inuadit, & signa edit postera: sed tantum appropriatione opus habet. Quale præseruatiuum in fieri continet aëris rectificatio Hippocrati familiaris (de qua suo loco) non secus quam in Peste populari. Ut scilicet enecetur ipsum virus in aëre, aerque simul originaliter sic disponatur, ut humorem alimentarium non sinat mumialiter corrumpi, aut fracedinem arripere. Hæc de futuro alioquin ubi jam pestilens virus intròreceptum est, latitat, nesciturque, quin simul sit aptatum, & sigillatum in Archeo: Idque propter singularem celeritatem sui veneni. Atqui tum defensiva solitaria tardè veniunt, nisi simul sanatiua sint. Primò itaque cura omnis versetur præseruandi, ut corpus caleat actu semper, ferueturque in diaphæresi: utque animus ad hilaritatem, terrori oppositam, sit dispositus. Prout de vino è Sacris, jam antè citauimus. Quod autem de aëris infecti rectificatione legis, non tam aërem, quam poros ejus spectat, in quorum vacuitatibus nempe sedet fluctuariuè aporrhœa contagii. Porro quæ ex aëre fracedinem, virusque, è mente verò, terrorem, & demum è corpore muniales coadaptationes tollunt, sunt hæc præseruatiua. Suffitus namque Hippocratis nedum ambientem: sed & intro attractum, imò & coagulatum halitum, à veneno, simulque & à fracedine liberat, non minus, quam quod mumiale fermentum applicari præpediat. Quorsum quoque faciunt alexiteria, zenexon, siue amuleta externa, quæ possunt terrores imaginem, ac pestilens virus, in proprio halitus, aut tartari cruoris subiecto, interimere. Atque hæc quoque Archei terrorem auertere, atque præpedire. Sin verò Pests proprio intus errore concipitur, alia præseruatiua requiruntur quam ubi circa loca, aut personas infectas est degendum. Pests autem formata, retrogrado ordine, à veneno formato, ad corruptiuam aporrhœam, festinanti cursu eundem suadet. Proinde quoque nec amuleta circa inferiorem ac remotam materiæ pestilentis præparationem auertendam, occupantur: sed ad superandum formale ac vltimatum venenum, & adaptationem Archei, cum tartaro cruoris, in vno extremo, & in altero, cum veneno hausto. Adeoque zenexon, indicationem curatiuam in præseruando custodit: attamen à sanatiuo superatur in hoc. Quod sanatiua non solum debeant interimere venenum: sed etiam per sudorem protrudere, Vtramque nimirum indicationum, oportet concurrere in curatiuis. Frustra namque alias multo sudoris madore corpus diffluit si tartarus cruoris non resoluitur: sed potius continuato Archei terrore continuetur. Cognitis nimirum causis, tam constitutiua, quam occasionali: solo dein rationis ductu, indicatio rerum agendarum confugit. Si namque fracedo initium dederit, primamque materiæ dispositionem fecerit, fracida loca, ut & alimenta facile putrescentia vitanda. Aër apertus, sanis sanus, è quò habeat consumptionis elementalis potestatem: sed aër quatenus, talis, non mi-

nus contagio obedit; quàm cætera corpora, susceptumque contagium in suo aëris Magnali, quatenus cauitates habet, continet integrum. Quod tandem, non nisi sponte plerumque: spatio 40 dierum ibidem tabescendo, emoritur ac vi elementalī, venenato fermenti semine, spoliatur. Nam semina rerum conceptarum, in aëre paulatim deficiunt, quatenus conclusam aëris cauitatibus, tanquam vteris, ad vltimam corruptionis dispositionem, primamque materiæ aqueæ generationem, retrocedunt. Tristitia quoque vniuersa, sunt auolienda: nedum quia timori atque terrori vicina: sed potissimum, quia circa os stomachi, ex tempore sensibilem pariunt fracedinem, suspiriorum matrem. Loca ergò & objecta tristis recordationis, ut etiam eiusmodi sodalitia, vitanda non minus, quam nuncia, atque historiæ confabulamenta dolorifica. Bibenda sunt vina exhilarantia, & cereuisiæ fortiores quia incurias, ac anirpositates causando, mœsticiam & terrores excutiunt. Contaminatis autem, quoquo modo, imò meticulosus, ac mœstis, aër ac venti frigidi nocent, quicquidque exhalationi atque sudori opponitur. Domus elota subinde fracedinem quidem atque contagium tollit: & nocet infectis halitus aqueus. Ergo prius exsiccanda esset. Dies 40. clausuræ, licet fracedinem augeant: tamen virus pestilens tollunt, quatenus sponte illo interuallo perit. Quarentenas, siue quadragenarias, ad quamcunque renouationem consuetudo, fortè ideo traduxit. Etenim licet natatio, aut venæsectio, fracedinem minuere videantur: attamen cum sanguinem, natura in thesaurum reposuerit, sequitur, ut quoties sibi cruorem demiserit. Archeus ad terrorem, tanquam prodicionem timens disponatur, trahatque residuum sanguinem intro ad se: ac per consequens, etiam venenum pestilens, vna in penetrale vocat. Qui motus, cum sudore, est diametralis. Ideoque tam venæsectio, quam nota riuo, funesta sunt. Omnis quoque solutio alui laxa, vitanda: è quò sic crudior è mezaraicis cruor putrefit, per fermentum pharmaci solutiui (prout alibi libro de febribus) ad cuius rempe euacuacionem, mezaraicæ à vena caua, & hæc à minoribus ramulis, cruorem repetunt, Qui motus sanandæ Pesti est diametraliter oppositus. Quæ hæc dixi, de numero sunt præseruationum negatiuarum, siue admonitiarum regulæ vitandorum. nondum continentem sanationem. Inter præseruatiua autem positiua, primum locum vendicant sibi amuleta, quod vim propriam fortiantur, siue ad enecandum virus, siue etiam ad appropriationem mumialem Archei præpediam. Vtrumque scilicet est curatiuum in fieri. Denique sequitur sudoriferum. Quod est extirpatiuum Pests, & sedis suæ per abluicionem: Denique Archeus mœstus, atque terrefactus, confestim se intro recipit, velut ad arcem fugit, gignit tristitiam suspiriaque, & anxietates venenolas, hoste intus recepto, adauget. Foràs ergò ad oblectamenta, ac per sudoriferum, euocandus. Sunt namque sudorifera, cum neta eiusdem intentionis, ac penè ponderis: at saltem in gradu bonitatis discrepant. Denique in adiuncto alexiterio, laudopotionem Hippocratis, cui addo gingiber, & baccas nigras hædora; quia diaphoretica, stomacho grata. Sunt etiam Alexiteria, vino generoso, & mox à pasta danda, non

non quidem vt sudet æger, quantum vt corpus seruetur in diaphæresi. Pastus autem leuis, ac paucus sit. Nam in omni febre, magisq; in Peste, digestio deficit; proinde cibi largioris vices, potus meracior subeat. Nam metum, curas, tristitiam, atque terrores excludit. Ideoque & summum præseruatiuum, in confidentia stabilitur. Non equidem de fide Christiana hîc loquor (quanquam magni vbiuis in spiritualibus sit momenti) nam & qui animam pro ouibus ponunt, subinde Peste oppetunt, aliis incuriis, saluis permanentibus. Nam illorum confidentia, vel cariem intus habet, vel aliud obstaculum. Non operante Domino miracula, nisi pro occultis iudiciis suis, Fides siue confidentia ergò, de qua hoc loco, est medium animositatis naturale, pugna, ac validè resistens terrori. Nec est ista fides positiua. Credo: sed prorsus negatiua, non horrens, non timens, imò nec ideo credens se infectum iri. Etenim vt terror pestiferus, ad nexam fidem putatiuam ac timidam habet, se aliquid contagionis iamdum concepisse, aut fremitum sentire: sic eius præseruatio est fides, se nil concepturos. Neq; ideo sufficit, quòd confidentia sit non terrificata (quod est medium inter terrorem & animositatem) sed requiritur vt sit operatiua, per non credere se infectum iri. Idque non rationis inductione: at prorsus per animositatis potestatem liberam, ac meram confidentiæ matrem. Pueri alioqui, & amentes, quanquam nullum conceperunt terrorem: frequentius tamen Peste pereunt, defectu operantis confidentiæ, quæ præseruatiuum sibi fabricat. Non credere enim, se infectum iri, longè fortius operatur, præsumptione timoris. Non solum quia negatiuum fortius destruit, quàm affirmatiuum adstruat: sed quia priuationem vnà complectitur, omni positiuo fortiorem. Etenim qui procedimus ex infinito nihilo, idcirco natura nostra fortius apprehendit nihil, quàm ipsum aliquid, vnde & quietem sibi adipiscitur. Prout videre est in syllogismis negatiuis, in quibus conclusio negatiuum sequitur, deseritque etiam particulare affirmatiuum sibi connexum, vt se, per negationem, in quietem dedat. Intellectus si quidem iam degener, naturaliter sibi diffidens, intelligendo hoc aliquid rerum, semper maualt recubare in non scire, aut non posse. Istaque est ignauiæ causa in scientiis. Fides ergò requisita in terrore, positiua, pro præseruando, debet ideo effectiue, actualiter, & efficienter stare: etsi cum spe, negatiue concludat à debiliore parte. Vir bonus, inseruiendo affectis contagio, si propter pietatem operis speret, fidatque plus in bonitate operis, aut meriti, quàm libera animositate in Deum, fidem habet coniunctam spei, includitque agoniam timoris, atque terroris. Itaque naturaliter infectionem subit, nisi præseruetur aliunde. Confidentia autem huius loci, non tam croco, aut stentorum exhilarantibus: quàm vini meracioris potu hilari depromitur. Prægnantes etiam, puerperæ aut menstruosæ, quia tum plus coërcentur sub veteri imperio, quàm ductu Archei vniuersalis, idèd periculosius Peste opprimuntur. Siquidem Archeus veteri, nequaquam rationi aut confidentiæ patet, qui totus confusione, ac mœsta perturbationum turba, anxiatur. Consolandus est itaque vterus oleo succini, succinoque in optimo vini spiritu soluto, ac suffitu ex verru-

Helmont pars II.

cis crurium caballi, per tritorium adacto.

Zenexon.

Qvam confidentiam, velut principale animositatis pignus, atque præseruationis Medium, vt excitarent Scholæ, excogitata fuere antiquitus Idolorum auxilia, expiationes, & Idolomania immanes. Appensa quoque, gestataq; fuere extrinsecus, quæ dein in omni religione; pro sacris reputabantur, quæque vel falso credebantur abstrusa (quia incognita) bonitate; terrorem atq; mœstia repellere. Zenexon igitur, cum plerumque in Peste præcautionem excogitatum sit, partemq; curationis etiam compleat: Idcirco singularem considerationem meretur. Etenim Medici, pro cuiusque voto, descriperunt varia, vt inseruiant consolationi ægrotis, dum auxiliatores fugitiui essent. Amuleta quoque suspendenda decernunt: quæ etsi plerumque nil virium haberent; saltem aliis, ruinoso fundamento, animositatem persuadeant: fidem nempe, spem, aut aliqualem confidentiam. Pagani enim primum imagines, ac statuas deastrorum, portari circa ægros iusserunt: dein itum est ad characteres, verba, sigilla, & Talismanica Gammaheu. Christianorum dein primi monachi, contra Pestem, appendicula, colloque periapta dedere: illoque fundamento, persuasum est vulgo, vt Pestem, plagam à Deo immediatè missam, credat. Meditor ego omne opus naturale, in natura debere sequi sua media, quoties ad sunt cuncta ad operandum requisita. Inquiro itaque hoc loco, fixas, firmas radices, necessarias atque ordinarias causas, ad consequendum eiusmodi causis correlatiuos effectus. Alij proinde Pestem, interpretantes supplicium, gestando nomina Ineffabilia, scripta, signata, meris stipata vanitaribus, verbis quoque non significatiuis polluta, proposuerunt. Quibus forsitan versiculum Davidis, Salomonis, vel alicuius Prophetæ nexuerunt. At Paracelsus has ridens vanitates, alias maiores commentus, duobus præcipuè characteris, imò & mendacibus sigillis ornatas; consentitque rursus iis, quos alibi irrisit multo sarcasmo. Ego enim ex huiusmodi superstitionibus, nonnunquam facilem lapsum in hypochondriacam insaniam, frequenter notavi. Præter hos, sunt qui nomina diuina deserentes, figuras, lineas, characteres, verba, numerorum typos, & ad lubitum Astronomorum, ficta sigilla planetarum (errorum nimirum errores) sub Pythagoræ, Salomonis Iudæi, alteriusve nomine commendant, plus gentiliū deliramentis adhuc, quàm sacris quibusuis imprecationibus, tribuentes. Etenim si forte aliquis, qui pestilentem eminus salutasset, liberque à contagio mansisset, iam nugarum author, ius sibi fecerat, bis mille deinceps suis naniis imponendi. Docui siquidem nil astrale in Peste, tam in modo fiendi, quàm sanandi. Reicio namque semper media infida, nugacia, ac potissimum quæ sunt illicita. Nemo siquidem semisfracto innitens baculo, à casu, nisi casualiter, seruatur. Nam etsi vanis remediis terror humanus exuatur (quo infantes alioqui carent) non tamen ob id, terrore Archei priuantur. Excludunt nimirum solum effectum priuatiue fidei quando plurimum: idque duntaxat pro paruo spatio, sæpèque suos

Qqq 3

identes

fidentes deserunt, vtpote, cum nullius potestatis esse sciuntur. Paracelsus etenim, magni semper fecit accensam imaginationem, atque foetem confidentiam. Quæ vbi super fabulum fluctuans, laxum, & fatuum, fundata reperi, nequiu approbare, quodque fatuitates opem præseruandi à Peste contineant. Tandem Paracelsus vix fidens mentalibus nugis, se ad zenexton conuertit, quod gestantem indubiè à Peste præseruaret. At cum ad Stertzium ciuitatem sibi beneficam, illud non describeret, nobis fas voluit conuicere, an ingratus imposuerit isti ciuitati; an verò zenexton istud ignorauerit. Mortalibus sanè neutiquam est remedium occultandum in tanta clade: præsertim vnde sibi apud præsentis, atque posteros omnes, honorem mereri speraret. Insanitum est variè super hac re. Quisque enim sibi persuasit stentatum Paracelsi zenexton, auribus arripuisse. Idque tantoperè placuit mortalibus, quod abinde Græcorum Amuleta, cum barbaro zenexton nomine, nomina commutarint. Per multis enim arsenicum, Auripigmentum, argentum currens, imò & sublimatum, atque eiusmodi venarum venena, ad collum, venarumve pulsus portarunt: non secus ac si Pestis, & pediculi, vno fugarentur remedio. Huiusmodi autem inuenta, ex Italia, præsumptione, imposturis, & calliditatibus fertili, ad nos delata, adoramus, sequimurque exteri. Etenim vt lubens posteritas à Græcis, prima scientiarum sermocinalium rudimenta, hausisse gloriatur: Ita quoque à nemine sperauit discere proutius venenorum proprietates, ad necis varietates, dilutiones, & laruationes, quàm à natione venenorum implorante frequenter opem. Credidit nempe, falsoque sibi persuasit: quod porrigere venena, & sanare Pestem, cognationem haberent. Ergo Medentes nostri, à Patauinis redeuntes, cumque cultu ac reuerentia in suos ibidem professores, sentientes de ingenti horum doctrina, quidam argentum viuum, testæ auellanae inclusum, collo suspenderunt, seque saluos rati sunt. Quos cum alij oppetere cernerent, hydrargyrum priorem Arsenico nupserunt, addita aranea, vel scorpione, quorum nonnulli verba sacra, trochiscis inde paratis, inscripserunt. Vt si vnum minus feliciter proficit, alterum saltem iuuet. Vidi autem in Castris Ostendanis, ad litus, multa virorum millia, cum eiusmodi zenexton, Peste sublata. Imò & qui per quindenas singulas, sibi costas vesicarent, per arsenici trochiscos, byssinis peris inclusos. Atque illæ sunt tragœdiæ Medicæ, Italicae imposturæ, finales periodi Iudæi porro, atque Ethnici: hi nimirum ex inscitia, illi verò ex iurata in nos hostilitate radices, nobis credulis gestandas, spe delusis, carè vendunt: mentiunturque Mosen primò, ac dein Salomonem, eiusmodi arcana, per traditam Cabalam, patribus Rabbinis, successiuaè tradidisse. Vt ipse nequam Iosephus, de incantamentorum tot millibus libris, (*Lib. 8. antiq. Iud. c. 2.*) à Salomone descriptis, insigniter mentitur, non secus atque malignè subtracet necem paruulorum innocentium sub Herode. Denique nostri postmodum euentuum, atque promissionum disproportionem intuentes, iussit suaues, ac odores gratos describere, in pomis, pulueribus, puluinariisque, & spongiis, continuò ante nares olfactis,

sperarunt se, velut per cribum colaturos Pestis auram, ab aromatum exhalatione, sicque venenum intererunt, correcturosve plausibili sibi odore. Quasi venenum desineret esse, aromate saturatum! & non intraret penitus, comite grati odoris! ac quasi ipsa aromata, non contagio essent subnoxia! Quasi arsenicum napellusve, ambari griseo maritata, cessarent nocere! quasi odoratissimum vinum, non statim contaminaretur fracido cado! Meæ saltem animæ gratulor, quod eiusmodi puerilibus delusionibus nunquam inuisitata fuerit. Quamobrem zenexton fundatur, non quidem in excitata imaginatione, aut fide; quippe quæ alterius sunt Monarchiæ velites: sed omnino in actuali dote, per conditorem, rebus collata. Imprimis itaq; ex præmissis patet, aromata, aurum, gemmas, crystallum, & quæcunque odorem haurire queunt: posse eadem quoque lege Peste contaminari. Non quidem, quod eorundem nondum infectorum pharmaca prorsus spernam, Absit. Aliud namque est disceptare, an aliquid susceptibile sit contagij: & aliud longè, an aliquid contaminatos iuuet. Docui enim vinum à contagio futuro præseruare, quod aliàs ita in se est contaminabile, vt & Pestem, solo sui attractu potuque adferat. Sed in zenexto, alia prorsus methodus est, requisita conditio, ac proprietas. Requirit namque zenexton, vt sit in se prorsus incontaminabile, si præseruare de futuro debeat. Eaque conditione à reliquis præseruatiuis distinguitur: vnde nimirum cognoscitur, quale zenexton sit eligendum, & quale sit infidum. Quæ sic intelligas opto. Pestis bouum, non est canum, aut falconum: & nulla harum, est hominum. Possunt tamen pelles vel carnes brutorum, nostrâ Peste contaminari, vt nobis sint pestifera contagia, quanquam non illis. Quia Pests contaminat in appropriatione, siue symbolo mumiali. Quanquam Pests vltimorum temporum nedum homines, quadrupedes, aues atque pisces: sed & arbores de medio tollent, eruntque ideo alterius & atrocioris indolis, quàm Pests modernæ, naturæ è gremio defluentes. Itemque per præfata instrumur: quod Archeus humanus & brutorum singulorum, pares habeant subinde pauores, quodque horum characteres in pestilens venenum, siue Ideam virulentam formentur. Vnde sat manifestè apparet, Pestem non esse venenum, cæteris par. Siquidem Napellus, vipera, &c. tam boues quàm homines enecant. A lapidibus itaque incipiendo zenexton. Sapphirus saturato colore cæruleus, & Hyacinthus fuluo colore prægnans; si circum bubonem, pestilentemq; escharam, in gyrum voluatur per moram è regione Solis, vel luminis, tractim circumducendo, facit, vt idem circulus dein ater fiat, & isthac reliquum virus, tanquam per caminum, foras exhalet. Etiam plures alibi si sint glandulæ, hæ tamen simul sidant, pereant, sequanturq; ad exitum tracti veneni. Ego autem Sapphirum præfero Hyacintho. Nec enim in sacerdotis pectorali Sapphirus legitur frustra, exclususque Hyacinthus. Antiquitus enim semper zenexton gemmis fuit tributus, iisque mox gentilitas figuras, numeros ac characteres insculpsit. Sed cum gemmæ non essent pro pauperibus, quibus immensa Bonitas præ diuitibus, largo imbrem tamen præuidit, seque patrem pauperum

Pauperum gratis obtulit, non facile inducor, has
 Gemmas, verum Pestis zenexton credere, Chi-
 rurgus Hispanus, cognomento Guardiola, xe-
 nodochij infectorum in obsidione Ostendana
 præfectus, ostendit mihi frustum succini ruben-
 tis, quod sibi toto triennio dixit vnicum fuisse
 zenexton. Cuius arcanum erat. Quod scilicet ad
 septem pulsus principales fuisset confectum,
 usque ad calorem. Nimirum vtriusque ad tem-
 pora, ad carpos, malleolos, & ad sinistram mam-
 mam. Ego saltem vidi, illum semper præserua-
 tum, cæteris coadiutoribus è medio sublatis. E-
 rat autem Pestis arenoso litore, ventosoque ple-
 rumque cælo, ac frigoribus infesto, trux & a-
 trox valde. Quod autem in succino reperio, non
 prorsus spernendum, est imprimis vis tractoria,
 affratu manifesta, & excitata. Dein, est succi-
 num, licet in se transparens atque gummosum,
 minus arctè tamen clausum, faciliusque ideo
 nostro calore mouetur, & alteratur. Denique nec
 habet succinum vim trahendi limitatam, qua-
 lem Magnes, ferrum, & non cuprum, alliciens:
 sed generalem, & absque electione, modo leue
 id fuerit: Scilicet, vt pestilentem auram, at-
 que virus trahat, sufficit, si leuia quæcumque
 ad se traxerit. Signatum ergò huiusmodi tra-
 ctionis, denotat zenexton in natura fundatum:
 eoque fortius, si mumiali fermento appropria-
 tionem sit adeptum. Vidi sic namque frequen-
 ter venenatorum vulnerum, dissoluto in spiri-
 tu vini succino, factas sanationes, alioqui peni-
 tus desperatas. Imò prout succinum non lique-
 scit, aliis resinis, pinguedineue colliquatum
 (quod singulare aliquid sibi domesticum denotat)
 certè peregrinam Phaëtonis fabulam, & tu-
 multum, nomenque electri, non frustra coin-
 cidisse demonstrat. Rideat qui volet frictions
 succini, ad pulsus nostros; recurrat ad Magnum
 oportet: & pomorum frictions, ad verrucarum
 abolitiones, non sine fructu saltem admirabi-
 tur. Siquidem si lintheum, pestilenti buboni af-
 frictum, contagium arripit atque propagat:
 quidni & in bonum finem, frictions mumialem
 adferant dispositionis coadaptationem! Quis
 quæso succinum Pestilenti emunctorio affri-
 ctum, non suspicetur: sique venenum, cur pari-
 etiam gressu, etiam mumiale symbolum con-
 traxisse, saltem non addubitet? Memini namque
 caseo sub axilla gestato, & per canem degusta-
 to, in decipulam seruisse, herumque suum ita
 deseruisse, vt se crediderit, extero, per classem
 auehi, Equidem si bruta hanc mumia de determi-
 nationem, velint nolint sentiant, eique pareant,
 multoque tamen liberiore electione fruuntur,
 quam quæ Archeali conceptu, in zenexton cadunt;
 non video, cur eandem determinationem
 succino tribuisse, nefas fuerit. Est etenim
 admirandum crescens, olim in resinam arbo-
 ream delatum: aliis demum minerale creditum:
 Dantisco tamen mari sudatum. Nil saltem sto-
 macho, intestinis, neruis, imò & cerebro est gra-
 tius, succino in vini spiritu resoluto. Mirari er-
 gò cessa, tam singulare crescens, tam singulari
 quoque vi confortatiua ac præseruariua dota-
 tum, tamque singulari tractorice signatum, Pe-
 stem queat extirpare è locis membrisque no-
 stris, quibus consolandis, singulari diuinæ pro-
 uidentia bonitate, nascitur. Nec enim hyper-
 bolen sapit, quod frictione succinum trahat o-
 dorem: cuius ergò magis illi appropriatur indi-

uiduo, quàm alteri. Est namque gummi po-
 rosum, ac planè volatile: Ideoque suscepti-
 uum odoris mumialis, quem frictione suscepit.
 Noui namque methodum, qua gemmis, vis
 herbæ, animalisque, characterizatur: Ita, vt-
 cunque postmodum exactè abluantur: residua
 tamen atque sospes, vis impressa perstet. Et-
 enim Topazius flauus, modesto calore cine-
 rum, vt flauedinem amittit: ita Solis ardore
 flauedinem recuperat, quam in cinere, eius-
 dem caloris gradu, perdiderat. Corallum ru-
 beum, frictione ad mulierem, ex vtero ægro-
 tantem, pallorem contrahit permanentem: ve-
 rum ad carnes sanæ mulieris affricetur, pristi-
 num recuperat fulgoris ruborem. Denique vi-
 tra (solidorum corporum maxime clausa) qui-
 bus essentia, vel magistera zibethæ, &c. ine-
 rant, vidi repetitis tædiosisque ablutionibus,
 odores illos peregrinos seruisse: Imò & vi-
 trum, magnetis vim tractoriam sic seruisse, eò
 quòd magisterium Magnetis in illo fabricatum
 fuerat. Si igitur huiusmodi fiant in vitro, quid-
 ni etiam in succino? Quod se habet, ob poro-
 sam & volatilem materiam instar testæ, quæ
 recens semel imbutum reseruat odorem. Non
 igitur mirum, si carabe imbutos odores reti-
 neat, præsertim si gestetur ab eodem, cuius mu-
 miales exhalationes per frictionem suscepit.
 Nec etiam multum refert, si narium testimo-
 nia repudiet. Nam & per vestigium non digno-
 scimus, cuius sit. Etenim si Sacra, in lapidibus,
 magnam virtutem commendent. Id non in-
 telligunt de lapidibus resolutis (nam tunc non-
 dum ars resoluendi vulgo enotuerat) neque
 de pulueribus lapidum bibitis. Quorum vir-
 tus, non nisi parua mora, stercoribus commista,
 transeundo labitur. Ergò de lapidibus integris
 sermo est. Quæ tam attractiua, quàm expul-
 siua mali esse debet: ideoque ad zenexton com-
 mendabilis illorum vis. Si igitur lapis magnam
 habeat virtutem in vsum humanum, ipsæque
 durissimæ gemmæ, Sapientis testimonio, vir-
 tute sint fertiles: necesse id est contingere, ir-
 radiando in corpus quod attingunt, propemo-
 dum instar astrorum. Ideoque & succinum, per
 irradiantem sui transparentiam, effluendique
 proniorem obedientiam, nullatenus erit gem-
 mis segnius: eiusque vis quæ aliàs velut sopi-
 ta dormit, non mirum si frictionibus & calori-
 bus excitetur: præsertim quod adamas, etsi de
 se nil amittat, attamen fricando etiam paleas al-
 liciat. Neque enim succinum paleas aut festu-
 cas trahit, nisi prius fricetur. Est nempe signa-
 tum, docens, frictions præcedere debere, si
 sopita vis eius, excusso somno excitari debeat,
 destinatumque auxiliij munus, in nos influere.
 Testor saltem frustum succini, vt gemmam re-
 fert, multo tamen facilius à paupere acquiri
 posse, pretiosis lapidibus. Enimvero Paracelsus
 excelsum gloriatur, inuento magnetis humani,
 quo incessanter, putat auram pestiferam intro-
 duci, Adeoque potiores vires pollicetur, in
 suo zenexto trahendi foras, quàm sint ficti ma-
 gnetis nostri, trahendi intro. At sanè vir ille vi-
 sus mihi, suæ doctrinæ de Peste, tot libris euul-
 gatæ, parum constans, parumque expertus.
 Dum scilicet cælum, sagittarium Pestis, hanc-
 que, non nisi vulnus cæli, irati parentis fabri-
 cat. Quæ si vera autumat: saltem virus istud
 non à magnete trahitur, quod à tot millenis

milliaribus in nos sagittatur. Manesque vel immerito accusatur, dum culpa caret, ac zenexton, frustra contra maguetis ficti tractum, dirigitur & appenditur foris: aut causas appropriationis zenexton, minimè intellexit, aut saltem furdas Pests causas, se dictasse existimet. Quorsum ergò hoc loco conducit illius magnetis recordatio? laus inuenti istius? Si quidem zenexton, nil habet commune cum illo magnete, neque aduersus eundem: esto, sit enim Magnes (donemus supponendo, falsum) in corde, & arteriis, qui citra discretionem, commistum aëri pestiferum simul virus intra combibat. At hunc, si zenexton tollat, vel impediatur, iam homo necessariò suffocatur, assueta expiratione prius, ad cuius necessitates cor & arterias volunt indefinenter fatigari. Quod si verò malimus zenexton, separatorem auræ Pestilentis, à pura: aliquid fabula dignum, vox ista continet. Quia zenexton saltem cribri, ac separatoris, viceque Archei subiret. Sin autem zenexton efficiat, vt Magnes noster non nisi licita trahat: esset tum zenexton Archei pædagogus atque ludimagister, vt scilicet suo ritè fungatur munere, nisi forte maus, zenexton ab Archeo, nisi solius officij nomine, distinctum, adeoque æqualiter cum Archeo inficeretur, Pestisque contagium sentiret. Imò res externa, peregrina vitæ, virusque fortassis continens, iam Archei ritales etymo assumitur. Eheu Paracelse, longè aliter se res habet. Tædet namque Archeum suæ gubernationis: nec enim est pugnae intentus, aut separationi in Peste. Qui ipsismet est vnicum veneni obiectum vniculque faber. Sed accingit se fugæ, habenas disiecit, panico terrore plenus, memorque suæ imbecillitatis, quod à venenis, vel minima odoris infectione, totus subigatur morfu viperæ, aut ictu scorpionis in digiti extremo. Delectum ideo recusat, conspectuque hostis, territus, fores aperit, claues post se abiicit, ac quemlibet mox gubernare admittit. Adeoque, quæcunque post mortem in cadauere obueniunt, in Pests accessu, sunt in fieri esse. Zenexton igitur inseruit duntaxat, non quidem vt Archeum admoneat sui officij, atque destinationis, neque vt virus, ab innocuo, in obiectis diuidat: multò miuùs vt naturalem refocillationis attractum inhibeat: Sed vt necet, & annihilat specificum virus, quod tam in aëre externo, quam intus in Archeo, est conceptum. At fanè nil horum magnete opus habet, nec magnetem vllatenus respicit. Ignotum est magnetis inuentum, finisque, in zenexto, apud Paracelsum. Nam zenexton, in omnem euentum, si magnetem respiceret, non valeret, nisi casu quo aura pestilens intrò per arterias trahitur (quod alibi sat demonstraui friuolum tractatu de Blas humano) non autem sicubi par anhelitum adducitur, vt neque vbi intus venenum oritur pestilens. Igitur ignotum Paracelsi zenexton nequaquam necessitatibus naturæ, aut medendi finibus satisfacit. Hippocrates autem, propinquius visus est causas necessitatis ad zenexton aspexisse. Volens, cælum in nobis tres motus locales facere, intrò scilicet, extra, & in orbem, cælum, indistincto tum adhuc hellenismo: pro vi vitali nominans. Vnde posterius cogitarunt, cælum in nobis continendum in motu extrorsum, per diaphoresin, vt impediatur Pests peregrina per

inspiratum. Etenim aliquid dicunt, & ab immemoriali, seruantur infectorum corpora, in diaphoresi. At manet idem dubium & anxietas vetusta, circa anhelitum, Pestisque internæ, fabricam. Meoque iudicio, zenexton nec debet ferare poros, nec claudere fores anhelitus, ne hostis intret, nec luctari cum Archeo. Sunt namque luctæ, dissidia, atque rixæ, si vnquam antea, saltem Peste flagrante, importuna. Dum præcipue Archeus sua, despondens, abiicit arma. Denique neque zenexton, separando, coquendo, aut preparando exterius puro ab impuro, intentum sit oportet. Sed prorsus per modum antidoti, sit contra venenum iam receptum. Non quidem propriè contra venenum ipsum. Sed quandoquidem vsus eius præcipuus sit in præseruando magis, quam in sanando: Idcirco vis requisita in zenexto propriissimè consistit, quod tollat appropriationem adaptionemque mumialem: extra quam nullum sit contagium, Nec tamen alienum esset, si insuper alixiterij potestates sit nactum. Enimverò Paracelsus multa de ranis & bufonibus pro Peste refert, confusa tamen quælibet. Multorum interim auiditates, atque oculos aperuit: Etenim bufones mulieribus, prout & ranas, viris conuenire asserit, & quidem baculo per caput transfosso, suspendi atque sicari voluit. Mensum ad hoc nullum elegit. Promittit tandem bufonem sic siccatum (de ranis autem, nil profecutus) buboni appositum, ita in se, totum virus Pests tracturum, vt successiuè in quartum quintumve bufonem vsque, omnes mirabiliter intumescant. Adeoque veneni quantitatem, per bufonem numerum coniicit. Vult & siccatum bufonem, prius macerari atque emolliri in aqua rosacea. Attamen vel est sibi Paracelsus inconstans, vel aliud sibi, præter bufonem, zenexton delegit. Si quidem scribit bufonem valere solum in Peste inguinum & mulierum. Ad alias autem Pestes, aliis vtitur atrahentibus: summumque incarnatiuum vulneris celestis (sic nempe Pestem vocat) ait aurum & gemmas. Imprimis fateor, me bufones applicuisse bubonibus, & escharis, tam in pectore, capite, mamillis, quam alibi tam in viris, quam mulieribus: ac vbique, non sine prompto iuuamipe, & doloris mitigatione. At imprimis nunquam vidi, applicatum bufonem intumuisse tantillum. Quod & idcirco ridiculum deinceps duxi. Dein, æquè friuolum est illud Paracelsi. Quod scilicet Pests nusquam alibi occurrat quam ponè aures, sub axillis, & in inguine: eò quòd sagittarius cælestes non feriat alias. Si quidè vidi veram ac lethalem Pestem vbiuis toto corpore se ostendisse, nedum escharis, vesiculis, pustulis, & tumoribus: sed etiam vibicibus, atque stigmatibus. Itaque putauit Paracelsus idem accidere bufoni exsiccato, quod viuo animali venenis assumtis, punctoque à serpentibus contingit, vel per venena plantarum & animalium interemto. Quasi Pests humana venenum bufoni foret; hocque si contingeret, non bufo Pesti, sed Pests bufoni imperaret. Nec etiam cadauer siccatum sentit, quæ sibi viuenti erant venena. Nec tumet cadauer, ictum à serpente. Cadauer namque, si non senserit, nec tumefaciendi energiam retinuit. Ignorauerit itaque Paracelsus, quod intumescere, sit proprietas Archei vitalis, quodque non nisi occasionaliter

sionaliter tumor à venenis procedat. Mirabar insolentem Paracelsi hoc scribentis audaciam. Nam bufo exsiccatus vtut sex horis maceretur, semper tamen tumefactionis incapax. Mora enim macerationis, in celeri morbo, periculi atque iacturæ plenum est. Ego itaque maceraui tepida aqua paucula: qui loco dolenti appositus, mox dolorem leniuit. Equidē si quicumque nobis, in cadauer bufonis expiraret, quod ibidem detineretur materialiter, eadem via qua intrasset in bufonem, exspirasset. Ergò tumefactio est actio vitalis Archei, efficienter & effectiue: veneni autem est actio occasionalis, quæque ideo in Archeum mortui siccatique bufonis nulla esse potest. Archeus itaque, cum desit exsiccato bufoni: non potest esse causa tumefactionis in bufone. Nam venenum cessat esse venenum, in respectu rei mortuæ. Cum venenum dicat relationem ad aliquid vitale. Cognosco, Paracelsum nullam habuisse actualem praxim Pestis; multa quidē parumque conformia scripsisse, pollicitus plurima, ex relatu aliorum hausta, credulitate. Hybernus Butlerus, me conficio, Londini aliquot millia Peste curauerat, hostium accusationibus postmodum in arce Viluordix detentus, me adiutore libertatem nactus est. Iusserat enim bufonē magnum, mense Iunio post meridiem captum, tibiis suspendendum prope focum, illique subtenderem patinam è cera flaua. Tandem à triduo suspensionis, bufo euomuit terram, & aliquot insectas, ambulantes nimirum muscas, nitentibus aliis subuiridi colore quasi deauratis. Mox autē à vomitu, bufo obiit: nec ante triduum euomuit, licet pronus penderet. Dixit autem mihi, quod fat remedij haberem curandis 40. millibus Peste correptorum, promisitque se mihi ostensurum rei cardinem. Sed repente in exsilium profcriptus abiit. Saltem ego has sordes vomitu reiectas, itemque exsiccatum bufonis cadauer, separatim in puluerem tundi iussi, & cum tragacantho trochiscos formaui; quibus feliciter sum vsus tam ad præcautionem Pestis, quam eiusdem sanationem. Dein Iulio mense, decrescente Luna, veteres Bufones cepi, quorum oculi scatebant albis vermibus: nigrisque capitibus prominentes, adeò vt vterque oculus totus in vermes transformatus esset, fortassis 50. numero, in singulo oculorum foramine vermes erant densè compacti, quorum capita foris eminebant; & quoties aliquis egredi vel prominere conaretur, statim bufo, apposita manu, egressum vetabat. Hos autem bufones ad vomendum coactos (vt dixi) per suspensionem, reperi dare excellentissimum zenexon. Vermes autem in patinam ceream deciduos, simulque cum eo quod per vomitum reiecit, in trochiscos paruulos redegi, addito cadauere bufonis, & cerea patina. Gestati autem trochisci ad mammam sinistram, arcebant contagium, & loco infecto allegati, statim virus extrahebant. Erantque trochisci promptiores, ac validiores, si in vsu aliquoties recidissent, quam recentiores. Reperi autem amuletum pro Peste, longè validissimum. Nam si serpens comedat terram, omnibus diebus vitæ suæ, quia fuerat peccandi organum. Bufo comedit terram, quam euomit, omnibus diebus vitæ suæ. Testimonio autem Adeptæ Philosophiæ, gerit Bufo odium in hominem, adeò vt aliquot herbas suo rabo infi-

Bufo

ciat, homini vsuales: idque in spem necis. In eo autem differt à serpente, quod viso homine, terrorem immensum concipiat naturali dono. Qui terror ab homine, naturalem energiam sibi acquirit & imprimit, contra imagines terri Archei in homine. Siquidem terror bufonis interimit, & annihilat ideas terri Archei humani, eò quòd terror in bufone est naturalis, & ideo radicaliter ac per totum illi, etiam mortuo incorporatus: Idea autem terroris in Peste, est tantum accidentalis, & fluxa. Ergò bufo naturæ suæ timidus ab homine, odij sui imagines auget, viresque intendit, vt saltem clanculum, ac Pests instar noceat. Hanc autem proprietatem sigillarem odij simul & terroris, gestat in capite, oculis, & loco concupiscibilis potestatis. Caput itaque & oculi, adhuc viuo animali, in viuos ac veros vermes (quales caseo innascuntur nisi, quod extremum capitis nigricet nonnihil) transmutantur. Tandem namque cum vita, vermium tanta multitudo excidit, quod viuo adhuc animali tota cerebri theca, verminosa fuisse videatur. Terribile fanè atque sigillare signatum, terribilissimo morborum dictatum *salutem ex inimicis nostris, & de manu eorum, qui oderunt nos* (remedium nempe.) Siquidem odium in nos, terrorque bufonis, præparant nobis sanitatis medelam. Est namque nostri odium bufoni ideo vernaculum, ac naturaliter incorporatum: quod totus per totum, odij Ideam gerat: perinde vt salua rabidi, per accidens Hydrophobiæ metum. Cæterum quo terror nostri, odiumque innatum in bufone, ascendat altius, fortiusque sui imagines imprimant, suspenditur bufo eminus prope focum, in adpectu nostri. Crescitque odium & terror ideo, in mortem vsque. Quod autem bufo per conceptus suos, Ideas generet, mox ostendam, per ipsius mortem repentiam. Nunc saltem dico, quod projecerim bufonem in lacunam, muro cinctam, qui sequenti mane perierat aquæ innatans turgidus. Habebat autem dorsum, frequenti nigro stigmate conspersum. Quibus signaculis conieci, quod remedium gerat aduersus Pestem etiam ferocissimam, quæ nempe post celerem mortem sua edit signa. Spemque addit, si pro ferocissima, morteque velocissima, remedium promittat, multò præstantius pro quauis ignauiore dederit. Vt autem mecum tyrones agnoscant, quantum imago odii in hoc arcano operetur. Notandum ante omnia, quod pestis humana non attingat bruta, vt neque vice versa. Eò quòd virus nullum operetur citra fermentum humanæ mumix, siue symboli consonantiam. Etenim siue fermentum istud fluxerit ex corpore infecto, veste, chartaque, auraque pestilenti: siue demum è nobis oriatur, claudaturque sub tartaro cruoris, Saltem vtut sumatur; Pestis nequit inficere quemquam, absque communione fermenti. Hæc igitur Icon virulenta odii, & operans imago, hoc denique terroris seminare simulacrum in bufone, enecat fermentum mumiale; sine quo scilicet venenum Pestilens consistere, ingredi, vt nec appropriari, nobis potest. Hic inquam modus est operandi in zenexto, quo scilicet impeditur pestilentis auræ communio. Quatenus tartarum cruoris excrementosum, ac euaporantem, priuat fermento mumiali. Atque inuicem eius ad-

fert fermentum ablatiuum veneni Pestilentis, siue Iconem necantem fermentum Pestilens. Eò quòd quasi in momento interimat fermentum mumiale, contagij fontem, vel saltem fomitem, nimirum si iam sit præsens; impeditque futurum, quo minus inualeſcat: sicque interimit immediatum inhæſionis ſubiectum, ne coaptetur. Fermentum itaque facile intercidit, si inhabilitetur, ne ſucceſcat ſedes Peſtis. Cum alioquin omne fermentum ſit mera cuiuſdam odoris tinctura. Neque enim Peſtilens virus atteritur à veneno buſonis, actione primaria deſtructiua aut debellatiua: ſed actione ſecundaria, quatenus Idea odij aut terroris Peſtilens, extinguit fermentum; quo mediante venenum Peſtis ſubſiſtit, atque pergit inficere. Etenim cum venenum Peſtis, ſit productum imaginis, terroris Archei, in odore fracido, auraque mumiali ſtabulatum, tollitur etiam hoc fermentum copulans, medium appropriatiuum & immediatum ſubiectum veneni, manetque deinceps duntaxat ſubiectum fracidum, vt ante, ſudore tenuis proſtigabile. Vnde conſtat, quod zenexton ſaltem præcaueat appropriatione primario, ſimulque tollat ſigillum, ſiue quidditatem eſſentialem Ideæ virulentæ terroris. Enim verò Domina de Rommerſuale, Toparcha in Eechoue, nobilis, affinis & proba matrona, mihi in candore retulit, ſe quondam toto pomeridie ſpectaſſe duellum araneæ, & buſonis. Hic enim, dum ſe ſupernè ab aranea deſcendente iectum ſentiret, & capite, conſeſtim ſe intumescere; conſugit ad herbam, quam lambebat: ac celerrimè curatus, detumuit, vnde iteratam pugnam aggreſſus, iterato quoque iectus fuit in capite, & ad eandem herbam properauit. Idque dum iam tertio accidifſet, Spectatrix, tædio affecta, plantam cultro excidit (erat autem plantago anguſtifolia) dumque eò quarta vice buſo rediret, nec iſtā herbam reperiret, celerrimè totus intumuit, & terrore percuffus, mox obiit. Non autem ſe contulit, ad plantaginis eiufdem plantas vicinas, ac frequentes (etenim imago conceptus, metus atque triftitia, mortem acceleratam parit, ſpes perit remedij celerrimi, in morbo furioſiſſimo) dum namque ſuam non reperit plantaginem, qui antea ſpe ſtatim conualeſcendi dimicabat; ſtatim metu, atque terroris Idea deſperās, obiit. Patet enim hinc, huius beſtiolæ pauor immenſus, magnitudo & violentia Ideæ pauoris, ex celeritate mortis coniiicitur. Etenim conſeſtim ſanari, intumescere, ac ſtatim perire, aperiunt, in hac infecta fore momentaneum, ac præſentaneum in Peſte remedium, vt & toxico, fore ſuum cuique terroris conceptum, in Ideam formatum. Quippe Idea eiufmodi dualitatem cum vita ſeruat, ideòque etiam illa hanc ſubplantat. Neque etiam buſo vivens, magni momenti zenexton, experiēti mihi præbuit. Oportet namque granum emori, ſi eius fructum exſpectemus: terroremque in buſone augeri conuenit noſtri, nam vt noſtra Peſtis non eſt buſoni lethalis, aut contagioſa: ita terror buſonis, terrorem Peſtis Archei noſtri, nequicquam augeat. Ac niſi terror, deſinat eſſe conceptus aliquis, ſitque redactus in Ideam actiuam, vt in Archeo non parit toxicum Peſtis: ita neque in buſone, efficit remedium. Ad hoc namque requiritur, nedum vt buſo præ timore toxici, aut

deſicientis plantaginis, moriatur, occidaturque à proprij conceptus terrifica; Idea: verum neceſſe eſt, vt buſo præ noſtri terrore, languendo pereat ſuſpenſus prope focum, &c. Nam tunc terror ille lethalis, noſtro Archeo inferior, & conſermentabilis, parit Ideam lethalem buſoni: nobis autem præſicuum. Symbolizat nempe cum terrore noſtri Archei, in quantum participant terrores, in imagine terrifica. Sed quia terror buſonis, non eſt noſtras? Ideo toxicum fabricat, contra toxicum peſtilentis terroris, ab Archeo formati, in Ideam virulentam Peſtis. Eſt nempe zenexton in buſone optimum, à Patre pauperum homini ordinatum. Conſidera quaſo buſonem mecum, qualiter è fracido mucco oriatur, inter rimas lapidum, ibidemque citra cibum vivat, adoleſcatque per annos plurimos: è ſaxis nempe conſractis, non ratus buſo Pariſiis eruitur, qui forte per ſeculum ibidem detentus fuit. Nec enim edit, antequam reſpiret. Bibitaque ſemel aura, mortis demum ac diminutionis leges ſubit. Vixit etiam ſolo, ſuoque Archeo, antequam reſpiraret. Cætera creata ferè omnia, in petra, putreſcunt. Buſo verò, in liquore fracido, nutritur, ac adoleſcit intra petram. Hinc coniiicitur etiam, quod ſit animans deſtinatum diuinitus, vt Idea ſui terroris, virulenta quidem ſibi, nobis, noſtræque Peſti, ſit toxicum in terrore. Nam vt ex præſatis ſat patet, quod buſo noſtræ conſtemperationi & adaptationi ſit maximè incongruus, ita terroris Idea in buſone, eſt ipſi terrore peſtifero, in nobis, valde peſtilens. Cum igitur buſo ſit infecta, hominis aſpectu pauidiſſima, quæ in ſe tamen, terrorem ab homine, ſimulque odium in hominem, format in Imaginem, ſiue enſ actiuum reale, & non ſola conſuſaque apprehenſione ſubſiſtens (prout iam ante de Idæis prægnantis, itemque canis rabidi, &c. nudè eſt deſemonſtratum,) Hinc contingit oriri venenum ex buſone, interimens virus terroris peſtilens in homine, vnde nimirum Archeus inualeſcit, nedum ſentiens, extinctam in ſe Ideam peſtilentem: ſed inſuper quia agnoſcit aliquid terrefieri, pauereſcere, atque fugere, ſe longè inferius. Sic namque in omni bello, atque duello, è pauore hoſtis conſpicuo, animus hoſtilis roboratur. Eſt autem buſo tantæ formidinis, vt ſi poſitus directo aſpectu, ante te, ipſum aliquandiu intuearis intentis oculis, per horæ quadrantem, nec aufugere queat, moriatur præ terrore. Buſo itaque occiſus, modo Paracelſico, abſque terrore mortuus, eſt zenexton indignus. Reſumto ergò animo, Archeus pauorem abiicit, maximoperè vbi natum ſui terroris virus interim perſentit. Etenim non agit zenexton, per modum aliorum agentium. Non ſecus atque virus Peſtis, eſt proriſ inſolens. Nec agit zenexton materialiter: ſed actio eiufdem eſt ſpiritualis, ac proriſ ſympathetica. Si quidem ſymbolum actiuitatis, in quo conſiſtit ratio fundandæ ſympathia, eſt in conceptu veneno terroris, tam in Peſte, quàm buſone. Ac prout virus Peſtis, anomalum eſt, cum aliis nil habens commune: ita quoque zenexton, actiuitate terroris alieni, atque peregrini exorbitans; noſtri terroris imagini peſtilenti, ſit manifeſtum toxicum, cum reſocillatione, confirmatione, robore ac reſurrectione Archei. Quam ſanè zenexton actiuitatem, Scholæ contemplari non

non potuere, eò quòd contemplari nequiverint istud Aristotelicum, nedum in Peste: sed & in venenis cæteris, esse mendosum. Est nimirum actio zenextionis, à victoria patientis super agens. Memineris namque quod terror atque odium in bufone, ab agente homine, superante quidem, at nullatenus operante, impressa actua- ta proprio bufonis conceptu, & in gradum deducta, fiant agentia: quæ in præfata Idea, sunt tanquam fugitiua animantia, ideòque terrefactum hominis Archeum restaurant, ac terroris virulenti imaginem erectant. Equidem in monomachiis spiritualibus, prorsus, atque longè secus certatur, quàm per appropriata agentia corporalia est solitum. Quod alibi demonstraui, remouendo actiuitates contrarietatum à proprietatibus naturæ. Zenexton ideò est de natura magnetica, agens scilicet duntaxat in obiectum proprium; dum intra limites sphaeræ, suæ actiuitatis, occurrit. Dubium videri posset aliquibus, cur Imago odij, in bufone, sit remedium; Imago autem odij in rabido sit toxicum. Ratio est in adiuncta terroris Idea, in bufone. Quæ inferioritatem veneni parit. Nam vnum superat aliud, in animositate conceptuum. Ideòque & imaginum. Rabidus enim canis, audax, temerarius, eiusque sigillata imago, obedientiam suam iniicit. Nec enim rabidus, in quantum timet: sed timet aquas, quia rabidus. Prout nec timet aquas, quatenus odit animalia. bufo autem est animans nostri timidissimum, vtque ex odio sibi innato in nos, est sibi malè conscius (sic disponente diuina clementia.) Ita imagines illorum conceptuum penetrantes se mutuo, & comite, conferunt notam maximæ pusillanimitatis, intinctæ veneno odij. Hinc nempe neccatur imago terroris pestilentis, ab imagine lethalis odij, & Archeus noster ab Imagine pusillanimitatis terroris, tanquam in speculo, per applicationem zenexton intuetur; ac superioritatem, quam ante amiserat, propemodum reassumit. Ideaque Idea terroris, in bufone, odit, simulque imago odij terret bufonem, vnde venenum nostro terrori superinducit. Vtroque scilicet medio, imaginem terroris pestilentis, in Archeo perimit. Est nimirum in spiritualibus primitiua autophilantia. Cum originalis omnis monomachia sensitiuorum, non nisi ex præmeditatis conceptibus profluat: Vniuscuiusque autem conceptus Idea formetur in phantasia, ac entitatem induat ad aliquid deinceps agendum. Etenim vt imagines motuum faciendorum, desinunt in motus: sic & sensuum imagines deferuntur primùm intro, ad vteriores consiliorum deliberationes: moxque ibidem degenerant, in imagines apprehensionum, passionum, vel perturbationum: atque inde feruntur ad aliquid agendum in corpore, vel extra se, labunturque ac gliscunt iuxta directiones atque inclinationes passionum. Hactenus nimirum eiusmodi imagines determinant spiritus vitales, vel ipsas partes operatiuas viscerum, iuxta impressionem sibi propriam. Quod clarissimè enotescit in veneno rabidi. Qui, si nos formidaret, vt timet aquas, nos non impeteret, nec eius morsus nobis venenosus esset. Aranea namque, scorpio, &c. sint animalcula itacunda, quæque si nos feriant, sui veneniam in nos deponunt: vel potius, iræ venenum. Ancilla quædam subinde vescebatur ara-

neis, nedum versicoloribus vineæ: sed & nigris illis, è specubus, & locis vliginosis, & inde viuebat sospes. Quapropter considerauit, araneam animal timidum dum manu apprehenditur: nec ideo venenum parere, prout aliàs, dum iratum nos pungit. Hinc nimirum apprehensus timidusque scorpio, medetur inflicto à se vulnere. Duo igitur in bufone occurrunt in summo gradu. Odij nimirum imago, virulenta sui qualitate, extinguit, retunditque fermentum appropriatum, ne Archeus induat combibatque partem terroris Ideam: Terroris autem imago in bufone, perterritum Archeum nostrum reuocat, additque animositatem, vt à fugiente fugans reddatur. Sunt, præter zenexton, quædam attractiua. Quale est nasturtium aquaticum, cum succo foliorum raphani maioris. Itemque cerasorum halicacabi, & ficuum ana. Quæ contusa apponuntur, & aperitur cutis circulariter. Item Napellus, vna inuersa, Aconitum, prius aceto cocta, tum cum ficu contusa, loco apposita, attrahunt potenter, & cutim aperiunt. Cuiusmodi plures classes sunt.

Hippocrates rediuuus.

Homo quidam, custodi angelo eudæmoni familiaris, orauit, vt à Deo impetraret remedium, per quod Hippocrates Grecorum Pestem popularem curauit. Sperans miseris Christianis non denegatum iri, quod Gentilibus olim concessit Omnipotens. Dixit eudæmon: Hippocrates vsus est sulfure, sale & pice. Quod responsum, post se relinquit obscuritates priores. Hinc factum, quod homo ille postmodum dixerit, his temporibus, fat dictum esse. Quare post anxiam indagationem, tandem mecum retolui. Quod sulfur Hippocratis ætate, phlogiston vocatum. Quo etymo, mox deinde Dioscorides, optimum designari dixit, à sua proprietate, quod scilicet integrum igni absumeretur. Sed quia Hippocrates, quorumcunque morborum occultum virus, nuncupabat diuinum in morbis, quodque per sulfur, virus pestilens (quod est venenorum, morborumque contagiosorum, summum, atque antesignanum) sanaret, cœpit ideò vocare sulfur τὸ θεῖον. Ad eò vt hinc, in hodiernum vsque diem, sulfur non aliter scribatur, aut nominetur, quàm nomine Diuini. Eò quòd medeatur Pesti; quæ vt à Diis tantùm immitti credita sit, sic & diuinum auxilium in se continere putetur antiquitus. Etenim cuncta vniuersim corpora, etiam alexiteriorum, aërque ipsius, subiacent fracedini, & veneno Pestis: suntque idcirco materia idonea occasionalis ad Pestem. Equidem Authores rædiosa disputatione sese verberant, an sal sit capax veneni pestilentis? An epistola filo linteo clausa, sit contagionis particeps, non autem quæ stringitur filo metallico? Indolui ridiculum Italicorum apologum, & rixandi studium. Siquidem charta, non est minus capax contagij, quàm linum, vnde fit. Argentum quoque, aurum, tersissimumque vitrum, atque ipsa antidotus, alienum virus pestilens combibere possunt. Solum autem sulfur, inter creata corpora resistit fracedini, & Pestis contagio. Quia solum sulfur, instar ignis, omnem fracedinem, tam in dolijs, quàm locis ipsis arcet, deletque cuiusuis attactus, & odoris.

odoris vestigia. Sulfur enim sic quoque tollit omnem propemodum pellis scabiem: quia contagij inimicum. Quocirca neque mirum, si Pestis, in pellem deriuata ab interno initio, per sulfur quoque extrahatur. Etenim cum in Vniuerso, nil promtius ignem concipiat sulfure, quia metus velut ignis est; non mirum, quod sulfur demonstret proprietates ignis, que sunt omnia comburere, nec contagio infici. Equidem vidi in cataracta Gandauensi, integram legionem Neapolitanam Peste periisse: erat autem ibidem cohors Germanorum, quæ puluere pyrio sua tinxerat indusia, vt lotrices, simulque pediculos excusarent. Horum si qui perirent, id præ dysenteria, non autem Peste. Itaque Hippocrates τὸ θεῖον ἄπυρον (id sonat sulfur siue diuinum ignem non expertum) quod viuum nuncupatur in officinis, sola fusionem, à superflua terra sequestrabat. Est autem flauum, quod semel accensum, ardet porrò in finem vsque, nec pellem in superficie contrahit, vt neque facem notatu dignam post se relinquit: sed totum auolat, semel accensum, idcirco φλογιστὸν nominatum. Nondum enim astate Hippocratis, modus enotuerat, ex pyrite, & marcalitis, extrahendi sulfuris. Quapropter sulfur Italicum præstat noltrate, Leodij nato. Nam pyrites, arsenicale aliquid exspirat coquendo, quippe arsenicum ideo vulgo fumus metallorum dicitur. Iussit itaque Hippocrates primum, domos Peste infectas sulfure suffiri. Enim verò sulfur dum vritur, separanturque eius heterogenea, dat nigram fuliginem; eructatque aquosum, & acidum salem: qui in liquorem cogitur, diciturque stigma, siue oleum sulfuris. Denique ex accenso sulfure, exhalat pars sulfuris homogœna, assurgens quidem propter calorem: sed nondum accensa ideòque cum fumo euolat, priusquam flamma corripatur. Sic nempe è lignis, olea nondum accensa adscendunt cum fuligine, & parietibus camini, fuliginem adhuc combustibilem affigunt. Sulfur autem sic, cum fumo vnà euolans; vt est in indole sui pristina: ita nec hoc loco alicuius valoris. At sulfuris combusti, cum omne semen per flammam destruat, eo ipso in Gas, siue spiritum siluestrem transmutatur. Quod ob proprietates sui concreti, est Pesti antidotus. Nam cum pharmacum debeat morbo adæquate respondere, nequeunt aqua, sal, fuligo, aut euolans flos sulfuris, verum Pestis esse remedium: sed duntaxat Gas istud subtile, ac penè incorporeum, nostro Archeo proinde confestim commiscibile. Proinde Gas istud hystericas olfactu recreat; non autem oleum, non tinctura, lac, aut flores sulfuris. Quo pacto autem Gas istud sulfuris, ab eius aporrhœa distinctum, agnoscas, lychnium sulfuratum accende in lagena vitrea: videbis confestim, totam albo impleri fumo, ac tandem flammam à fumo suffocari. Dein serua lagenam superè optimè obturata, & videbis ad vasis parietes, affixum sulfur, & in superficie, aquæ, si qua in fundo sit. Quod si verò post aliquot dies, lychnium idem accensum collo lagenæ imposueris, è vestigio flamma extinguitur, propter Gas sulfuris condensabile. Non secus atque odor fracidus doli, suffocat flammam lychnij sulfurati. Hippocrates autem, omne vinum, quod in Peste dabat, suffiebat hoc modo. Poculum stricti col-

li lychnio ardentis sulfuris suffiebat, ac vinum ad tertiam partem affundebat, ac poculum arctè conclusum agittabat, dudum conquassando sursum atque deorsum. Donec vinum, omne Gas sulfuris in se combibisset. Nondum enim Periaptra, Amuletaque enotuerant. Myracopa autem supplebat, vngendo corpus vino Græco, cui tenuissimum pollinem sulfuris incoxerat. Sudantibus verò, eundem pollinem exsiccatum Sole, adspergebat, & frictionibus iussit applicari. Pestis autem, cum nunquam careat febrili, cernerentque Græci, remedia Hippocratis, cœperunt primò Pestem, dein omnem febrem, πῦρ siue Ignem vocare. Non quidem ob febrilem insignem, atque necessarium calorem causticum: (licet sic placuerit Galeno) Siquidem initium, frigus, rigores horroresque, tam Pyr vocarunt, quàm ardentem causum. Hippocrates enim sulfur in cote læuigabat cum aqua, & rursus exsiccatum, seruabat ad vsus. Dabat autem cum vino salito, & calente, grana sulfuris 24, vt sudores proliceret. Salem autem olla vitriata primum decrepibat, mox dein aucto igne liquabat. Nam aliàs sal sordes in se continet, quæ primo crepitu euolant, dehiscente, ac sub siliente sale. Hi spiritus fracescunt facile, ac salem, contagionis metui substernunt. Sunt namque sali admodum peregrini. Qui licet dudum ante salis fusionem fugerint, instituit tamen salis ligationem, vt per ignem absumatur, quicquid exotici in sale contineretur. Enim verò cernebat mox à Pestis inuasionem, consternatum appetitum, dein & impuritatem in stomacho succrescere fracidam, ac nidorosas: vnde cephalalgia, vomitus, nausea, delirium, sopor, &c. orirentur quæ sanationem Pestis impedirent. Sumsit itaque carniuum communem balsamum salis: qui fracidum virus, atque putredines everteret abstergendo, cum virium conseruatione: dabatque vinum falsum feruidum, non autem tepidum, ut nauseas compesceret, & sudores potenter ciceret, addebatque sulfur, ut suo velut odore Pestem interimeret. Quia sal abstergit, à putredine conseruat, & sulfur, venenum cohibet. Hunc autem sudorem, præscribebat triduo ad minimum, sæpè tamen in hebdomadam dilatabat. Quotidie autem sudabant bis, & vice singula, per diei sextantem, si poterant. Primis diebus plus, ac deinceps consequenter minus. Inter sudendum enim, tollebat omnem potum: peracto autem sudoris termino, hordei cremore cibabat, & pro potu, vinum græcum picatum, cui inerant pauca grana salis præfati, & sulfuris. Folia autem Afari, aceto macerata, calida superponebat buboni, plantis pedum, atque manuum, quæ post horas 12. singulas, sepeliri iussit. Quoniam immensum fœtent. Factum est deinceps, quod Græcia vvas consperferit muria maris aliquoties, priusquam ad torcular deferrentur. Suasit nempe id Hippocrates, vt vnà sic infecte ab vuis pellerentur. Hinc vina græca, etiamnum falsa hodie, nescita vsus huiusmodi ratione. Ad grandes bubones, & stigmata, applicabat lintea calida, generoso vino intincta, cui sulfur, vt dixi, incoxerat. Præterea sibi reseruabat arcanum, cuius obruitu, sibi diuinos honores acquisiuit. Erat autem caro viperina, vel colubrina, quas mundabat. Abscissis nempe caudæ extremo, & capite, pellem excoriabat, Intestina

cum

cum felle abiiciens : solum Cor & Iecur referuabat : omnem verò cruorem , cum vena per spinam decurrente, extraxit. Carnem verò non bulliuit more, quo Theriacæ inditur ; sed eandem, cum ossibus, & præfatis visceribus exactè contusit, & tepido furno exsiccauit, donec puluerari possent : quem puluerem despumato, cocto que satis melle, inspergebat, dum sciret carnes, coquendo, virtutem , tam in Iure, quàm vaporibus, deponere. Huic autem electuario aroma patrium addebat, ad palliandum secretum : ideoque nec ab Angelo patefactum. Mysterium autem, sanatio continet. Quod sicut mors per serpentem irrepsit : ipsa quoque per serpentis mortem vindicari debuerit. Adam enim gnarus proprietatum omnium bestiarum, non ignorauit quoque, quod serpens callidior esset cæteris animantibus, quodque in serpente, balsamus præfatus lateret, remedium mortis. Quare Spiritus tenebrarum, protoplastis imponere non potui tutius, quàm sub pelle serpentis. Fortè namque sperarunt mortem à Deo minitatum, auxilio serpentis se euasuros. Vfus quoque est Hippocrates vino picato. Quocirca consideratione dignum, quod Hispania rarò Peste affligatur. Non quod desint peccata aut sordes, vbi nullæ propemodùm latrinæ sunt. Regio inquam caloribus æstuans, Africæ æmula, atque contermina est. Nec etiam quia magnates, potum niue refrigerant. Quia saltem rurales, atque ciues, Peste sua peccata piarent. Sed Ægyptus vtitur aquis, & fructibus, vnde in carne fracedo. Hispania verò vtitur vino, & quidem picato : quia cum plerumque doliis careant, vina coriis picatis conseruant. Italia habet, vasa lignea ideo nec pice vtitur, coacta, frequentiusque Peste corripitur. Pix enim, anthracibus apposita, solamini est, citoque aperiantur. Pix namque, escharæ nigredinem æmulatur. Inter arbores notas, sola Picea, Tæda fit, & præ pinguedine statim moritur, si trunco parum terræ adiicitur. Deus namque liberalis est suis remediis : idque suæ Bonitati est vernaculum. Mors enim, arbori superueniens, mortem homini, facto, per arborem mortali, remedio destinari visa est. Odor picis, suffumigio plurimis prouinciis Peste contaminatis, familiaris. Sic namque non vnicum Hippocrati remedium, contra Pestem, Petus asserit : & ab Atheniensibus vult de astro tutelari, litatum. Cum ergò Græci cernerent Hippocratem vti remedio, sibi duntaxat cognito, cui ideo vitam, sanationem, & totam tribuebant præseruationem : sensim desperantes, magis magisque vsum salis atque sulfuris, in obliuionem abiit, presertim si aliquot anni, à Peste liberi, intercurrerent. Ac deinde quisque medentùm cœpit varia seligere, sperans suum, Hippocratis esse antidotum. Vnde postmodum seges remediorum absque numero collecta est, vacuis plerumque aristis. Tandem ex tenui olfactu viperinæ laudis surrexit Theriacæ compositio, partim confusione simplicium grauata, partimque inter præparandum dissipatis odoribus, & in iusculis, abiicere meliores proprietates viperæ. Hodie magni fit antidotus Oruietani pro Peste : quia is primus ausus fuit publico foro, deglutire ignotum sibi quodlibet toxicum. Quod hodie Germani præstant solo vsu colubri. Parùm enim distinguunt Pe-

stem, à toxicis cæteris, parùmque adnotarunt, inuito Oruietani electuario, Pestem nihilominus sæuissè nuper per totam Longobardiam. Omitto namque, quod radicitus Pestis à cæteris venenis differat. Quercetanus, huiusque farinae scriptores, in cacoalexiteriis, ac tyrociniis plurima (audacter, an temulenter iudicent alij ex suppositis Pestis radicibus) dictant remedia : quorum vnumquodque, non quidem ex scientia : sed ex sola putatione, concinnatum est, eorumque author commiseratione, si non supplicio, dignus est. Ranzouius namque, de sanitate tuenda, ad filium Saxoniam antidotum describit, per me tentatam aliquoties : at frustra semper. Quia virus, spirituali terroris imagine consistens, nil habet in præfata antidoto, quod radicitus eandem superet imaginem. Ideoque præ inscitia causarum Pestis, excogitauit quilibet multa, pluraque adhuc inconcinnè connexuit, contra virus peregrinè intrans. Vniuersa nimirum confusa, citra methodum, experientiam, rationem, & causarum notitiam. Nihilque omnino contra Pestem, stultâ terroris imagine, atque persuasione timiditatis ortam, excogitatum, deinceps ab æuo Hippocratis, quisque Medentùm cœpit pro lubitu varia seligere, & connectere multa, ac multo plura, sperans suum, esse Hippocratis inuentum. Interim numerus compositionum excreuit, sensimque incertitudo veritatem pristinam supplantauit. Et quanquam antidotus, operans circa effectus producti veneni in corpore, magni pendenda sit ; dum tamen non operetur in Archei terrores, imaginemque inde productam : profectò, nec opem Pestilenti contagio adferre potest. Vel si cum iis quis resurgat à Peste, id non nisi infido sit auxilio. Nam in Peste, ipse Archeus terrore atque mœrore propemodùm fascinatus est, ac perniciosam imaginem in se cudit, quæ vera est Pestis : à qua nec sponte resurgit, nisi vi naturæ singulari, ac gratiâ diuinâ. Porro, vt tractatu singulari demonstraui alibi, primos conceptuū impetus non stare in libera voluntatis dispositione ; sed fabricari in Hypochondriis : ita exin deductis argumentis, apprimè spectauit, terroris imaginem, Pestemque videlicet ipsam formari circa stomachi ac Splenis ditionem. Id enim seridò, lōgoque otio deprehendi, ac plurimis historiis obseruatione accuratè confirmaui, quarum vnam aut alteram retulisse, non erit extra scopum, Adolescens quidam, cernens fororculam stigmatem nigro adpersam, & extinctam, terrore percussus, statim sarcinam circa os stomachi sensit, continuæ suspirationis monitricem. Vtebatur quotidie Theriaca, adiuncta Myrrha, & petasitidis radice, edebat ac bibebat vsque in hilaritatem. Tandem 12. die ab obitu fororis, febris, ac sopor, ipsum apprehendit, & triduo inde obiit. Nobilis virgo consimilem sarcinam, atque terroris anxietatem passa, tandem deiecta appetentia, suspiriis, compressionibusque stomachi, insomnes noctes, ac palpitante corde transegit, febris illam lenta atque continua apprehendit, cum lucta timoris & spei indefinente. Frustranæ erant enim, quotquot secum deliberationes animositatis, ac resignationis liberæ, faceret. Spreto etiam cibus, vino tandem forti locus superfuit. Idque etiam mox fastidiuit. Nec etiam tantoperè mortem expauit, quantum futura deliria.

Ridebat

Ridebat interim stultas anxietates, siue luctæ vanitates, suæque stultitiæ piguit ipsam. Medentes autem miserant sua ad illam Alexiteria. Sub quibus creuit animi duellum, non secus ac demorsis à rabido sua Hydrophobia. Ac tandem lethali mœstitia terroris pestiferi, jam planè despondebat animo. Quippe quæ à tribus hebdomadibus, somnum nullum admiserat, sub agonia perpetua, vitæ desperatione, & plena tamen luctæ suæ stultæ recognitione secum anxiebatur: Adhibitisque optatis, peius se habuit. Tandem inter metum, ac optatum mortis, remedio Hippocratis, 6 horarum spatium plane conualuit. Interim fateor atque moneo protestando, quòd condum Hippocratici remedij manifestauerim satis apertè, vt solis artis filiis, verisque Medicis sit sat patulum: solisque pigriis Medentibus lucro emancipatis, & inuidis veritatis osoribus, tectum futurum. Narraui autem. 1. Historias præfatas, vt elucescant incipientes Pestes nondum veneno pestilenti imbutas, nondumque sufficienti imagine terroris comitatas. 2. Vtque exin constet virtus remedij Hippocratici. 3. Quòd impetus primi, confusionis, terroris, atque imaginationis circa os stomachi, in Hypochondrio contingant. In liene nimirum, cuius emunctorium est prope os stomachi, adeoque scopus illius sagittarii. Nam in iuvene sano, quem Pestis septem horarum abripuerat, instituta anatomia, reperi escharam oblongam jam constitutam, vt prius vomitus motricem, ac dein synopum continuarum authricem: ita & mortis repentinæ occasionem dedisse, prout in aliis, 16. horarum spatium, triplicem in stomacho escharam notauit patratam. 4. Quòd animalis versutiæ herus, cum caduceo somni, soporis atque vigiliarum ibidem diuersorium elegerit. 5. Quodque omnis amentia atque delirij sedes, sit ibidem. Idque longâ demonstratione alibi fundauit ex professo. 6. Purgationes item, vt & myrrhas antidotos pestilenciales, non sat tutas, aut confidentiâ dignas esse. 7. Quodque omnis ratio, deliberatio, animositas, resignatio, consolatio, argumentatio, omnisque versutia humana in contrarium, non nisi Æthiopem lauent in peste, prout & in Hydrophobia. 8. Quòd opera præseruatorum, sit ignaua, quoties & quamdiu perstat sigillum imaginis, à terrore fabricatæ. 9. Quòd huiusmodi imago continuos de se luctus excitet, phantasiâque ipsam conculcet, nec minus ad se captiuam trahat, quàm rabidi morsus nolentem hydrophobum parit, aut Tarantulæ ictus, delirium tripudiatatorium. 10. Quòd laxa sit solius sudoris consolatio, in cuiusmodi terroribus. 11. Quòd non deuicta timoris Idea in viscere, nec exultata fœce, cui ista imago insedit, irritum est, quicquid magistrales, aut officinarum compositiones, moliantur, Hydrophobi namque, licet subinde per interualla discretè loquantur, præsentiant, prædicentque ad venam insaniam, non possunt tamen non adigi in insaniam suæ imaginis. 12. Quòd perniciofa sit natatio, & quicquid sudorem cohibet. 13. Ptisanæ, plures, syrupos, atque iulapia, laxa ac friuola esse remedia tanto malo. 14. A Peste nota perueniri tandem ad legitimam: sapius tamen ægros, deficere sub incipiente, antequam sua edat signa. Quæ tamen mox ab obitu, proditoria

emergunt. 15. Quòd odores grati, suffitus aromatum, plumarum, aut calccamentorum, nullum Pesti adferant præsidium, aut subsidium. Per exemplum enim, Si fracidum cadum vini, aromatum, vel quouis alio odore, præterquam sulfuris, imbuas: manet fracidum, nouumque vinum, quod infuderis, mox contaminat, vt prius. Quare aromata, à semel terrefacto Archeo terrorem, terrorisque Ideam virulentam, nequaquam auferunt. Quia materiam veneni non tollunt, multò minus illud enecant, vel terrorem ab Archeo amouent; vt nec sedem reficiunt, vel partem affectam solantur. Etenim Paracelsus, ad ciuitatem Stertzingam sibi beneficam, commendat præ cæteris quibusuis remediis, sub lingua sensim liquatam myrrham: ac iunioribus in præseruationem, pro 24. horarum spatium promittit audacter. Quam attamen doctrinam expertus sum mendacem. Vidi namque adolescentes, myrræusu multo, Peste interfectos. Myrra quidem, etsi cadauera, balsami loco præseruet à putredine: procul tamen distat Pests à putredine. Non secus ac candentis ferri eschara, à putrefacto cruore discrepat. Et licet iam demortuum subsequatur putredo, terroris tamen virulenta imago propriè non putrefacit: sicut propriissimè Archeum vitalem occidit, ac in virus secum transmutat. Iubet enim myrrham ore detineri. Quasi Pests nesciret intrare, nisi oretenus. Longè ergò consultius, os clausisse silentio. Equidem Pests horrebit myrrham, nec pernares intrare audebit, si myrrha ore detenta, liquefcat. An odor fortè myrrhæ impediet, quominus imago venenosa, non sit venenosa? sit nocua? An enim myrrha in ore, repellat Pestem ex Archeo? Eadem ratio æquè friuola ac insulsa est, pro Theriaca, aceto &c. odoratis. Tandem sciant mortales, in medendo, nil æquè damnosum, ac credulitas, data absque pignore, & veritate. Profectò accusationes ægrorum, quandoque tonitruent contra negligentiam, falsitates, imposturas, temeritates, falsasque medentium merces, quibus vita spoliati fuere. Ego autem ex libris, Paracelsum virum deprehendi, temerarium promittendo; inexpertum in Peste, inconstantem in remediis, Ignarum in causis, vt & ingratum, erga beneficam Stertzingam. Parcant mihi ejus cultores, quod in re tanti momenti, pro veritate candidè loqui cogar, ne quis se suis fidat in Peste auxiliis.

Imago terroris ventilata.

HAstenus inauditum virus Pests produxi. Scilicet animam, eiusque vitalem Archeum pollere imaginatione sibi vernacula. Imaginationis autem præfate potestatem esse, formare Ideas: non quidem quæ amplius sint nudum ens rationis, siue non ens: sed veram prorsus imaginis subsistentis entitatem actualiter habeant. Quæ nimirum imaginatio, cum sit opus carnis, brutis etiam nobiscum commune? hinc nempe fabricatur in externo homine, à quo nil nisi hoc aliquid, longè à spiritali conceptu diuersum, progreditur. Ad quam autem entitatem subsistentem, consequendum, ipse Archeus vestit suum conceptum (qui mera & abstracta adhuc est mentalis Idea) sui inuolucro, siue particula auræ suæ adeo, vt quod

quod in se concepit abstracto imaginationis conceptu, id ipsum Archeus mox vestiatur, induaturque vitali aura. Sic ut deinceps sit subsistens ens, imago scilicet ab imaginatione fabricata. Porro ut conceptuum, ac passionum variae sunt deformitates, iuxta Prothei illius libertatem: ita haud dubie sunt & istiusmodi imaginum multiplices varietates, procul ab inuicem segregatae. Etenim sic laetitia, atque tristitia, è diametro ab inuicem recedunt, harumque Idea, spiritibus vitalibus induta, sculpta, ac vasa, diametraliter in nobis dissimiles operationes edunt. Suntque idè Imagines terroris plurimum virulentae, atque potentes ad contaminandum, symbolizantem secum spiritum vitalem, tam in corde, ac arteriis quam in ipsamet solidorum æconomia habitantem. Quam scilicet imaginem, eiusque efficaciam potentissimam, iam ante, ac pluries alibi, manifestavi, quantum potui. Dixi etiam, ac demonstraui, eandem imaginem esse Pestis essentialem, formalem, atque immediatam quidditatem. Quippe quod non infrequenter ex solo terrore, à Peste Pestis sit fabricata, licet non præexisteret causa materialis, vnde hauriri posset. Tractavi deinceps obire de præseruatione ac sanatione Pestis per zenexon, & remedia olim temporibus Hippocratis vsitata. Attamen nondum pro præsentis seculo fat dictum in ordine ad sanandum. Siquidem plurimae occurrunt difficultates nondum fat elucidatae. Imprimis imago terroris vnica est quidem sua in specie, ac proinde difficulter potest intelligi, quod Pestis ex vnica vniformique Idea terriculamenti, quiret tam diuersa, tam distinctis nedum emunctoriis: sed per totum corpus tam distinctas partes æqualiter, pro suo lubitu affligere. 2. Deinde, quod eadem terroris imago quiret solo nutu suo tam diuersa à se inuicem producta, cudere. Qualia sunt Anthraces, Bubones, eschara, vesiculae, pustulae, tumores, vibices, &c. 3. Quod vnica terroris Idea, nedum partes externas, sed & stomachum inuaderet, & obsideret, itemque caput, &c. 4. Quod vnitas illius Idea, nunc acutissimum morbum, aliàs lentum sensimque; nictantem, alibi sensim sponte fatiscentem produceret: cum eiusmodi effectus potius veneni diuersitatem, quam identitatem accusare videantur. 5. Quod Archeus humanus, terroris venenosa Idea pauidus, ac velut profugus, vires, atque animum haberet, escharam in pelle producendi instar ferri candentis. Imò & stomachum, siue viscus principale, eschara perforet. 6. Quod inquam delirium, siue vigilia, non ex eodem cum sopore initio pullulare videantur. At omnem huiusmodi anxietatem vnica facile responsio delet. Nimirum omnis primus conceptus, primique conceptuum impetus, contingunt infra septum transversum, qui idè negantur subesse rationi, aut esse in nostra potestate. Quapropter Hypochondriacas passionibus ibidem vigere, omnis iam ætas concessit. Deinde Pestem immediatè à pestilenti terrore frequenter introductam, nemo ambigit. Qui terror imaginatione illius loci ut fabricatur: ita & cuditur terroris imago, vnde sibi Imaginatio etymon desumpsit. Non est autem eiusmodi imago deses, aut citra operandi facultatem: cum plurimi morbi à perturbationibus nudis, incepisse nemo nesciat. Denique terror, nedum est animae humanae, ac solius rationis pauidus, sed &

Archeus ipse terretur, irasciturque naturali quodam feruore, ac passionum illecebris. Porro terror cudit quidem imaginem Pestis effectricem, confusionis atque horroris genitricem: sed venenum, imago ista non assumit, ab indistincta confusione terroris, terrore confuso; metuque aut fuga desertoris Archei: sed sicut omnis serpens, canisque rabidus, venenum parit per conceptum irae furibundae: ita quoque Archei terror non sufficit, ad productionem pestilentis imaginis: nisi furor Archei, imaginem virulentam pepererit, quae simul penetret, & nubatur imagini terroris. Hinc nempe fit, quod Pestis plerumque circa stomachum nascatur, seseque manifestet per nauseas, vomitum, inappetentiam, dolorem capitis, febrem, sopores, ac tandem deliria. Siquidem hanc supellectilem versari circa stomachum, alibi de febribus, ac tractatu Duum viratus, satis amplè demonstraui. Eschara enim non fit in mortuo: sed tantum in viuis, adeoque à vita, & Archeo ipso (prout de sensationibus alibi) qui excandescens parit furoris imaginem, quae nata est se ipsam, rotumque spiritum Archei, ipsumque influum spiritum sanguinis arterialis, commutare in corrodens alcali. Vitalis enim spiritus, qui primo ortu materialiter in digestionem stomachi acidus fuit, ac digestionibus subsequens salus fit, atque volatilis; formaliter degenerat, fitque sal corrosiuum, atque alcali volatile, efficiens causa corrosionis, & escharae. Nam ad transmutationis tam peregrinae, & exoticae (à peregrina scilicet & exotica imagine productae) rationem, quicquid est vitale, in ipsamet solida partium substantia, id totum excandescente principio vitali irato, ac succenso, accenditur variisque morbos (qui in pruno, igne Persico, gangraena, erysipelate, &c. obuij veniunt) parit. Patet ergo, ab eodem terrefacti, & in rabiem succensi Archei, initio, contingere nunc in stomacho, nunc in pelle, glandulis emunctoriis, tum etiam subinde in ipsamet solida similiarium, aut viscerum æconomia suscitari pestem diuersimodè; vnde lethales sphaceli, escharae, atque combustiones, contingunt, pro diuersitate partium, ad quas Archeus furibundus, ac terrore plenus, diuerterit. Quod autem terrefactus, profugus Archeus, rediensque, ac semifurens tam hostilis fiat partibus clientibus, quibus solus praesidet, non aliunde petenda est confirmatio; quam quod spina infixi, quae axungia leporina, tuto absque incommoditatibus expellitur, quatenus furorem Archei lenit istud remedium: quae spina alioquin ingentem furoris tragædiam suscitatur. Parit nempe Archeus, suis clientibus venenum, suo furore, quod alioqui simplex vulnusculum lubens ignoraret, Puta, quam dissimile est vulnus phlebotomi, & ictus apis. Itemque ictus phlebotomi, mundi, quandum distat à punctura immundi phlebotomi. Non mirum ergo, quod sedes, qua primùm imago concepti terroris, & combinatae imaginis furoris penetratio, contigerint, hostiliter agiteretur, furibundè exuratur: saepe tamen ab insito vitae spiritu, transmittuntur atque fugantur venenati turbines, ad habitum exteriorum; ad loca inquam, quorsum latex propria sponte subter valetudinem gliscit, siue ad habitum externum corporis dimitiantur. Ideoque quicquid in Peste agendum est, id festinanter curandum est. Etenim quandoque imago Pestis tantum

tantum vestitur spiritu influo: cum facile sudorifera subueniunt. Sed ubi solidis inhaerens, innatusque Archeus Imaginem sui terroris & furoris concipit, nisi statim alimento suo spermatico resignet, ac deponat conceptam imaginem (tartarum cruoris istud corruptum alimentum vocauit) timoremque prodat, periculum est, ne in ipsam solidorum mox substantiam transmigret: quod inexcusabile mortis detrimentum continet. Ideoque ne tenax intus hospitium, Pests sibi sumat, procurandum, vt ima-

go non dudum intus fluctuet pestilens: sed tota supellex, foras per sudorem proliciat, & excidat. Carlina enim imperatori olim ab Angelo ostensa dicitur, pro peste exercitus (forte ideo carduus dicitur angelicus) quod primus ortus imaginis pestilentis, circa stomachum sopores, nauseas febrim vomitum, & cephalalgias suscitaret; Ixia vero somnum arceat, multoque magis sopores contra naturam. Ideoque extractum Carlinae recentis, non fote iufecundum recenti Pesti sperant.

FINIS.



INDEX



A P P R O B A T I O N E S.

TRactatus clarissimi & expertissimi Domini, *Ioan. Bapt. Van. Helmont*, in quibus principia, Lithiasis, Apoplexiæ, Paralysis & aliorum morborum exactè disquirit & ostendit, digni sunt vt per Typographiam, publicentur. Ita censeo.

P. COENS S. T. L. Can.
& Lib. Censore, Antwerp.

TRactatus de Febris per clarissimum & expertissimum virum D. *Ioannem Bapt. Van Helmont*, descriptis, ad multorum exercitium, & instructionem Medicinæ candidatorum, absque offensione Catholicæ Religionis, vtiliter Typis committetur. Actum Antuerpiæ XIV Decembris M. DC. XLI.

P. COENS, S. T. L. Scholasticus
Lib. Cens. Antuerpiæ.

Pestis à clariss. & expertiss. D. *Ioanne Bapt. Van Helmont*, descripta & exactè discussa, productis plurimis Arcanis naturæ, digna est quæ Typis euulgetur. Ita censeo.

P. COENS S. T. L. Canonicus &
Lib. Cens. Antuerpiæ.